9.16

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA CHIRVRGICA

DE ANATOMES MAIORI IN CHIRVRGIA QVAM MEDICINA NECESSITATE

QVAM
GRATIOSI ORDINIS MEDICI CONSENSV
IN INCLYTA ACADEMIA IVLIA

PRAESIDE

LAVRENTIO HEISTERO
MEDICINAE D.
SERENISS. DVC. BRVNSVIC. ET LVNEB. A CONSILIIS AVLICIS ET ARCHIATRO MEDICINAE CHIRVRGIAE AC BOTANICES PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. NEC NON REG. LOND. ET BEROLIN. COLLEGA

FAVTORE

AETERNVM DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS
IN IVLEO MAIORI
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS
PVBLICAE ERVDITORVM SVBIICIET DISQVISITIONI
AVCTOR RESPONSVRVS

GEORGIVS WAGNERVS
HASSO-CASSELLANVS

D. DECEMBR. cIↄ Iↄ cc XXXVII.

HELMSTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

DEO
PATRI
ET
PATRONIS.

PROOEMIVM.

NOn deerunt ſane, qui mirabuntur, quod, cum thema pro diſſertatione inaugurali mihi eſſet elaborandum, hoc potiſſimum, *de anatomes maiori neceſſitate in chirurgia quam Medicina*, mihi ſumſerim enucleandum. Sed mirari forte deſinent, quando præeunte quotidiano uſu conſiderabunt, quam ſterilis adhuc noſtra ætate in plerisque Germaniæ locis ſit chirurgia; adeo, ut præter venæ ſectionem, novaculamque barbæ dextre admovendam, quin & abſceſſum, manu tamen intremiſcente, incidendum, plerique non ſapiant chirurgi; omnes alicuius momenti operationes circumforaneis totum terrarum orbem peragrantibus, & ut brevi rem complectar, hiſtrionibus relinquentes, ſi a paucioribus eruditionis fama inſignibus diſceſſeris viris, quibus placuit, hanc medicinæ

antiquiſſimam, nobiliſſimam & evidentiſſimam, infauſto ſidere a medicina quondam ſeiunctam partem, iterum cum illa combinare, maritare, atque in inſigne mortalium ſolatium exercere. Quæ me hercules dolenda chirurgiæ fata vix ab alia cauſa, *quam a neglecto anatomes ſtudio ſunt repetenda;* ubi certe mirari ſubit, viris alias haud incelebribus noſtra quoque ætate Anatomiæ ſtudium vapulare, quaſi rem in Medicina inutilem & ſupervacaneam illud æſtimantes; cum tamen omnes & ſinguli, ſuum rebus pretium ſtatuentes, unanimi profiteantur ore, omnes, quæ medicinæ & chirurgiæ factæ ſunt acceſſiones, maturiori ſtudii anatomici, mechanici atque phyſici culturæ merito deberi.

Verum enim vero placet ante omnia *huius ſtudii neceſſitatem gravium quorundam auctorum ſtabilire auctoritate*, & primo quidem IO. VIGONIS, præſtantiſſimi quondam Medici & Chirurgi, qui ita de hac re diſſerit L. I. de anatomia: *ſequitur igitur quam neceſſarium eſt medicis, præſertim chirurgicis, anatomiam ſcire, quin inſuper chirurgici penitus in anatomiæ ſcientia deficientes, ad ſimilitudinem artificum artes ſuas ignorantium, poſſunt in medium deduci; omnis enim artifex tenetur ſcire naturam & ſubiectum, in quod operatur; aliter vero operando errat. Cum ergo chirurgus ſit artifex ſanitatis corporis humani, omnino tenetur ſcire naturam & proportionem ipſius & præprimis anatomiam uniuscuiusque corporis particulæ.* Confirmatur quoque per ſimile, teſtante Henrico de ERMVNDAVILLA L. I. ſuæ chirurgiæ: *quare eodem modo operatur cæcus in ligno, ac chirur-„gus in humano corpore anatomiam ignorans; nam cæcus ſcindens lignum ſæpenumero errorem committit, accipiendo de ligno plus vel minus, quam ſit neceſſarium: ſimilique modo etiam contingit, chirurgum errare penitus anatomiam ignorando.*

Deinde quoque notatu digna ſunt magni noſtri HILDANI verba ex centuria epiſtolarum, eaque XC, ubi in *Felicem* WVRZIVM animadvertens, quod chirurgos a ſtudio anato-„mico abalienet, ita habet: Quibus verbis ſcilicet Felix *Wur-„zius* iuniores chirurgos a ſtudio anatomico, cui alias multi,

„præ-

„præcipue inter Germanos, non uſque adeo ſunt dediti, ma-„ximo ipſorum, ſimul & ægrorum damno avocat; *cum ta-„men Chirurgo ſcientia anatomiæ magis, quam Medico ſit neceſſa-„ria.* Medicus enim ingenioſus & doctus, qui tantum circa „internos morbos verſatur, facile ex lectione optimorum au-„ctorum, etiamſi ipſemet in diſſectionibus manum non ad-„hibuerit, quæ ſibi neceſſaria ſunt ad praxin, ediſcet. At „chirurgus, qui circa fracturas & dislocationes operatur, ex-„creſcentias quoque nonnunquam exſcindit, etc. vix aliquid „boni præſtabit, niſi anatomiæ notitiam habuerit. Sed ple-„rumque in cadaveribus magnatum & aliorum accidit, ut „abditorum morborum cauſas inveſtigare neceſſe ſit. At „quomodo, quæſo! Anatomiæ imperitus barbitonſor ex arte „cadaver diſſecabit, cauſasque morbi latentes inveſtigabit? Inſignia præterea aliquot affert exempla, quæ ſatis arguunt, gravia illa ægrotantibus ab eiusmodi in anatomia hoſpitibus illata damna.

Quæ præterea vetuſtiſſimus & præſtantiſſimus auctor CELSVS de anatomiæ præfatur neceſſitate, in præfatione eius Libr. de re medica p. m. 21. huius ſunt tenoris. *Incidere „autem vivorum corpora & crudele & ſupervacuum eſt; mortu-„orum vero diſcentibus neceſſarium; nam poſitum & ordinem „noſſe debent, quæ cadavera melius, quam vivus & vulne-„ratus homo repræſentant.* Neque longior ero in recenſendo eo, quod ad confutandos tam abſone ſentientes pertinet, maxime cum viri, maiori me iudicii ἀκριβείᾳ pollentes mihi fecerint otium, huius quippe loci ſunt binæ elegantiſſimæ diſſertationes: quarum unius Cl. PRAESES *de anatomes ſubtilioris utilitate & neceſſitate* in Medicina; alterius FRID. HOFFMANNVS *de anatomes in praxi medica neceſſitate* auctor eſt.

Neque minus exteri huius ſtudii neceſſitatem ſatis perſpexerunt; adeoque ea inducti in gratiam ſolummodo iuniorum chirurgorum compendia iis maxime adcommodata publici fecerunt iuris, ut ex Italis GENGÆ liber, quem inſcripſit, *Anatomia chirurgo neceſſaria;* ex Belgis PALFYNI

Anatomia chirurgica (*l'Anatomie chirurgicale.*) Ex Anglis CHESELDENII Anatome & IO. DOVGLASII *Syllabus Anatomiæ Chirurgis ſcitu neceſſaria*, (haud neceſſariis omiſſis) id ſatis declarant, & gravium quoque modo commemoratorum auctorum ipſiſſimis verbis id ſatis evictum eſt. Quæ autem ex ſtudio anatomico magis exculto medicina cepit incrementa, eadem, *quin & longe maiora chirurgiam inde cepiſſe*, tot Gallorum, Anglorum, Belgarum, Germanorumque inventa, quibus chirurgia emendata atque locupletata eſt, ſatis abundeque commonſtrant.

Non autem, prout ſuperius iam commemoravi, eadem chirurgiæ in Germania ſunt fata, cauſa huius rei ſimul allata, ſtudii nimirum anatomici neglectus, quave perſpecta Potentiſſimus Magnæ Britanniæ Rex GEORGIVS I, plurimos & Medicinæ & Chirurgiæ ſtudioſos Pariſios magnis miſit ſumtibus, quo ibidem notitia Anatomiæ & Chirurgiæ imbuerentur, qui cum reduces facti eſſent, in iuniorum Chirurgorum gratiam acroaſes adornari iuſſit, Profeſſore in hunc finem conſtituto, aliis quoque aliis collatis muneribus; Vnde brevi factum eſt, ut Chirurgi Hannoverani binos obſervationum faſciculos collegerint atque typis exſcribendos curarint; Collectaneis Chirurgicis Hanoveræ anno 1722 & 1723 typis excuſis id teſtantibus. Ad eiusdem Regis exemplum paulo poſt potentiſſimus Boruſſiæ Rex, ut ab interitu artem totius medicinæ nobiliſſimam generique humano ſumme neceſſariam ſuis quoque in terris vindicaret, multos, eosque bonæ ſpei iuvenes magnis itidem ſumtibus Lutetiam abire iuſſit Pariſiorum, pro addiſcendis & chirurgicis & anatomicis encheireſibus ſive artificiis, quas binas artes egregie ibidem vides excultas: atque hæc fuerunt initia digniſſimi, quod imitetur, huius inſtituti, collegii nimirum, quod Berolini nunc floret, medico-chirurgici, (ubi ſimul ſplendidum iſtud noſocomium regis exſtructum munificentia, quod a charitate nomen gerit (*la charite*) videre eſt, in quo omnia miro ſunt diſpoſita ordine) ex qua ſchola quot & quanti manu-

nuum uſu excellentes viri nunc prodeant, notius, opinor eſt, quam ut de eo hic prolixius dicatur.

Optandum itaque foret, ut & ſplendida hæcce inſtituta aliis quoque Germaniæ principibus calcar adderent, ſimile quid in terris ſuis & præſertim in Academiis moliendi: rem ſane, quæ & principum & magnatum, militum & privatam viventium vitam multum intereſt, tot infirmitatibus, quibus genus humanum premitur, quæque periti atque circumſpecti operam chirurgi expoſcunt, id ſatis declarantibus. Quot enim & quantis ſonticæ illæ operationes chirurgicæ v. g. cataractæ ſubmerſio, fiſtulæ lacrymalis, aliorumque oculi vitiorum medela, terebratio, aneurysmatis curatio, calculi, neque minus herniarum, maxime incarceratarum ſectio, ſanguinis in vulneribus cohibendi artificia, fracturarum & luxationum reſtitutiones &c. ut alias pari cum illis paſſu ambulantes taceam, ſint coniunctæ difficultatibus, nemo rerum peritus ignorat, ita interdum comparatæ, ut oculatiſſimis ex iis ſeſe extricare, ſubinde non datum ſit: qua vero in anatomicis cœcutiens felicitate aliquid moliri in eiusmodi caſibus poſſit, cum revera, ut cœcus quaſi in tenebris palpabit, ego quidem non video; ſibi itaque minus fidentes & ut famam noſtri ſuam tuerentur chirurgi huius notæ in ſe operationes non audent ſuſcipere.

Inſtituti nunc ratio exigere videtur, ut paucis demonſtrem, quem finem in hacce conſcribenda diſſertatione mihi propoſuerim, quemve ordinem ego ſim ſervaturus. Quod ad prius attinet, ego probatum eo, *chirurgi plus intereſſe intimius corporis humani noſſe fabricam etiam ad ſubtiliſſima quam plurima usque*, quam medici, (qui febres aliosque varios morbos internos ſine ulla anatomes ſcientia & empirice quaſi curare poteſt,) quod ſine ullo negotio ex ipſa conſtabit tractatione; ubi in ſingulis vel ſaltem quam plurimis operationibus influxum & neceſſitatem Anatomiæ dilucide ſatis evincam, ſimul demonſtraturus, omnes & ſingulas

circa

circa unam alteramve operationem cautiones adhibendas ex ſola partium ſtructura probe perſpecta eſſe petendas.

Quod alterum ſpectat, ego more anatomicis ſolenni, prius commemorabo, quæ in trunco, & quæ denique in artubus adornari ſolent, circumſtantiis id exigentibus, ut loqui mos eſt, operationes chirurgicæ. In bina ideo hancce dirimam diſſertationem capita, quorum prius enumerabit in trunco, alterum in artubus obvenientes operationes: præmiſſa cuilibet capiti rerum dicendarum Synopſi, ut primo ſtatim obtutu pateſcat, quæ & quales recenſeantur operationes. Prius caput in quatuor iterum diſpescam ſectiones, ubi prima in capite, altera in collo, tertia in thorace & quarta in infimo ventre inſtitui ſolitas enumerabit operationes; poſterius caput binas complectetur ſectiones, priore ſuperiorum, altera inferiorum artuum deſtinata operationibus. En totius diſſertationis ideam! Nunc vero ipſi me accingo tractationi, omnia pro virium tenuitate pertractare adlaboraturus. Faxit ſummus rerum Arbiter, Deus, ut hic noſter, exiguus quidem labor, in ſui gloriam generisque humani cedat ſalutem.

CAPVT I.

COMPLECTENS IN TRVNCO INSTITVI SOLITAS OPERATIONES

SECT. I.

VBI EX ANATOMICIS REPETVNTVR EA, QVAE MAXIME IN CAPITE CVRATVRO LVCEM FOENERANT INSIGNEM, ET QVORVM COGNITIONE DESTITVTVS CHIRVRGVS NIHIL FERE BONI MOLIRI VALET.

SYNOPSIS.

§. I. *Quæ in terebratione,*
§. II. *Quæ in polypi extractione,*
§. III. *Quæ in fiſtulæ lacrymalis cura & in Ozæna,*
§. IV. *Quæ in cataractæ ſubmerſione,*
§. V. *Quæ in parotidum extirpatione ex anatomicis tenenda.*

§. I.

Nihil commemorabo de variis cranii fracturarum ſpeciebus, nec de circumſtantiis, quæ hancce operationem ſuadent, encheireſibusque in hacce operatione obſervandis aliquid præfabor; ſed tantum de iis tractabo, quæ chirurgus ex anatomicis neceſſario tenere debet, ad caute & bene hic curandum: par denique ratio erit cum reliquis operationibus adhuc recenſendis. Terebraturus itaque cranium, omnium, quæ ad efformandam magnam illam capitis cavitatem conſpirant, oſſium notitiam & modum coalitionis illorum habeat perſpectum: ne forte ipſæ ſuturæ, quaſi fiſſuræ aut fracturæ ſint, ipſum decipiant. Neque minus ab oſſibus triquetris, *Wormianis* a quibusdam

dictis,

dictis, & triangulari *Paracelſi* oſſe, ſibi imponi patiatur; cum autem ſuperiorem calvariæ partem conſtituentia oſſa ex duabus diſtinctis utplur. tabulis ſint conflata, (dico utplurimum: nam ſæpenumero calvariæ viſæ ſunt & multas huius naturæ oculis uſurpavi, in quibus copioſiſſimæ intus conſpiciebantur, mox ad circularem, mox ad ovatam vel ſulcatam figuram accedentes impreſſiones, ubi ambæ eius lamellæ, arctiſſime iunctæ luminique obverſæ, pellucidæ admodum fragilesque erant; quæ calvariarum frequentia effecit, ut recentiores chirurgi vix amplius in uſum vocent ferramentum iſtud perforans, acuto mucrone inſtructum, Gallis vulgo *perforativ* dictum, propter periculum, quod ex utriusque menyngis punctura ab eo foret metuendum: nam hoc oculatiſſimo accidere poſſet.) His autem meditullium eſt interiectum; quod tamen non ſemper certisque in cranii locis nunquam obvium eſt. Non itaque exſpectet, usque dum eo ventum ſit; facile enim alteram tabulam, ad vitream accedentem naturam, perrumpendo felicioris ſucceſſus ſpe adſtantes fruſtraretur, minusque feliciter in hoc negotio verſaretur.

Vt nihil dicam de tegumentis capitis propriis, v. g. muſculis & frontalibus & occipitalibus, in ſuprema calvariæ parte galeam aponeuroticam formantium; quamvis vero a chirurgis horum muſculorum fibrarum directio vix attendatur, praeſtat tamen ſemper, ſi plagae natura id patitur, *cruciali ſectioni* vel ſi quæ alia aliis placet, *longitudinalem paulo maiorem* ei ſurrogare; quo efficitur, ut haecce ſoluta unitas faciliori negotio conſolidetur. *Pericranium* oſſa exterius idque intimius amiciens, cum illa duræ matris, quæ

ocu-

oculorum orbitas inveſtit, portione communicare, non fugiat chirurgum: exinde enim fluit nunquam iſtud prætermittendum præceptum, tegumentorum & communium & propriorum ſectionem ſive læſionem æquare illam pericranii, quin excedere huius illam oportere, quo inflammationes nec non inimicae huius membranæ irritationes gravia ſuſcitantes ſymtomata, per conſenſum latius ſeſe diffundentia, præcaveantur. *Quod de arteriarum*, cumprimis ramificationum trium plerumque arteriæ temporalis, quæ etiam ob *arteriotomiam* noſcendæ, nec non teneriorum illarum venarum cranii exteriorum, quæ per foramen in parietali oſſe, ſi adeſt, ſagittali ſuturæ vicinum, nec non proceſſui maſtoideo contiguum foramen, ſi non deficit, calvariam ſubeuntium ramorum reptatu atque itinere illi conſtare debere, in propatulo eſt: quorum poſteriorum vaſorum cum ſinubus lateralibus & longitudinali communicationem non ignorare, maximæ eſſe utilitatis in Medicina, probant exempla, quorum alterum habet MORGAGNVS in Adverſ. VI. de affectu ſoporoſo detento, per venarum occipitis ſectionem eamque profundam, nec non cucurbitularum admotionem perfecte reſtituto; alterum apud Zacutum extat Luſitanum, qui apoplecticum ope venarum occipitis ſcarificatione priſtinæ reddidit valetudini: quæ bina exempla ſatis probant, quam utile ſit chirurgo tenuiorum quoque vaſorum habere plenam cognitionem. In hac tamen operatione arteriæ temporalis diſtributiones potiſſimum ſunt attendendæ. Sed hæc de exterioribus calvariæ partibus lucem quandam chirurgiæ affundentibus monuiſſe ſufficiat: ad interiores nunc progredimur partes.

Hic primo in cenſum veniunt *Menynges*, quarum ſtructura chirurgo ſatis cognita ſit: quoniam ſæpiſſime accidit, ut non inter binas ſolum lamellas, ex quibus dura mater eſt conſtructa, ſed & inter duram & piam matrem ſanguis ex alveis ſuis elapſus ſit. Crebriori quoque diſſectione familiarem ſibi reddat duræ matris arteriarum curſum atque iter: ne ſanguinem hunc evacuaturus unum alterumve harum arteriarum ramum incidendo offendat. De *principaliorum ſinuum*, v.g. longitudinalis atque binorum lateralium ſitu ipſi conſtet: ex unius enim alteriusve læſione nullo obſecundans auxilio naſceretur hæmorrhagia. Quæ oſſis temporalis parti ſquamoſæ, nec non parietali impreſſa, ab arteriæ duræ matris pulſu per caroticum minus tranſeuntis foramen, videntur veſtigia, ea dilacerata in cranii fracturis multum faceſſit negotii, easque reddit multo periculoſiores: qua de cauſa, & eam a ferramenti acie immunem præſtandam eſſe, eique ſauciatæ debito occurrendum modo, nemo forte eſt, qui non videat. Et cum denique pericranium in iunioribus inprimis ope fibrillarum per ſuturas cum dura matre cohæreat, & ipſas ſerio vitandas ratio ſuadet.

Binas quoque inſignes interdum *cavitates in parte anteriore & inferiore oſſis frontis*, ſepto oſſeo a ſe invicem disiunctas membranaque pituitaria narium cavitatem amiciente itidem velatas extare, non lateat chirurgum; nam & his terebra non eſt admovenda. Quæ commemorata ſi chirurgus in memoriam revocaverit, non poterit non ad ductum rationis adeoque legitime omnia perpetrare; *præſtat autem ſemper hancce*

ce operationem iuſto ocyus, quam nimis ſero adornaſſe: ob eam potiſſimum rationem, ne ſanguis ex alveis elapſus ruat in putredinem, ſubſtantiamque cerebri mollem admodum ſimili inficiat deſtruatque contagio.

§. II.

De *polypo* nunc acturus *narium*, non morabor huius vitii cauſas; ſed tantummodo, ut finem meum exſequar, ex anatomicis recenſebo, quæ ad bene & feliciter hunc curandum pertinent, ut & ad iuſtam formandam prognoſin. *Oſſium ergo omnium, quæ ad narium cavitatem efformandam concurrunt*, ſitum, figuram reliquave conſideranda penitius perſpecta habeat: v.g. oſſium naſi, maxillæ ſuperioris, ſpongioſorum, palati, ſphenoidis, & præſertim qua ratione os ethmoides ad narium faciat cavitatem, ſeptum inprimis, quatenus eſt oſſeum, ex parte ſuppeditando, quod vomeris inciſuræ commiſſum ſeptum efficit narium; nec non qua parte ſinus & frontales & ſphenoidales & maxillares in narium hient cavitatem; quæ ſit natura membranæ ſic dictæ pituitariæ, quæ narium fornicem, ut & in illam ſeſe exonerantes ſinus arte ſuccingit: nam & polypoſas concretiones in paulo ante memoratis ſinubus interdum egiſſe radices, obſervationes paſſim loquuntur. Qui per foramen, ex inciſura oſſis multiformis, eiusque oſſium palati in parte ipſorum ſuperiore, exiſtentis concurſu enatum, cui foramini ſpheno-palatini nomen iure competeret, narium antrum ſubit carotidis externæ ramus, ſatque inſignes per earundem ſpargit membranam ramificationes, non eſt prætermittendus ſane: maxime cum *a dila-*

cerato huius arteriæ trunco in polypi extractione, nulla arte ſiſtenda ſuborta eſt hæmorrhagia, cuius phænomeni teſtis fui αὐτοπτης.

§. III.

Fiſtulæ lacrymali medelam allaturus non ignoret, quæ ſit ratio lacrymarum & ſecretionis & per peculiare artificium, valvulam quippe ſemilunarem & carunculam, in puncta lacrymalia illarum directionis, cornuum punctis lacrymalibus contiguorum, lacrymas in ſaccum exonerantium lacrymalem, vivam habeat imaginem: nec non quorum oſſium concurſu ductus efficiatur naſalis, utpote inciſurarum proceſſus maxillae ſuperioris, nec non oſſis lacymalis lunatarum coniunctione, quave parte in narium ſpectet cavum memoratus ille ductus. Quodſi vero carie vexati oſſis lacrymalis ſuſpicio vel alia cauſſa incidit, quæ ſui perforationem ſuadet, tunc in inciſione ſub orbicularis muſculi tendine inſtituenda, attentionem merentur & vena & arteria angularis; quamvis ex horum vaſorum læſione nihil prorſus periculi immineat: verum tamen melius in hacce operatione verſabitur illa vitare ſciens, iucundiore præterea adſtantium ſpectaculo, periculum ſemper alicuius operationis ex maiori vel minori ſanguinis profluvio æſtimantium. Quæ autem medendi huic fiſtulæ ratio potiſſimum ſit inſtituenda, id cum ex materiæ per puncta lacrymalia, prægreſſa preſſione, deſtillantis natura, tum ex aliis ſignis æſtimandum, ſola iniectione & ſpecillis ANELII interdum ſufficientibus; ſæpius vero pro nova via, loco obſtructo, paranda os lacrymale ad naſum perforandum; ubi vero os lacrymale, quod Garengeot in cap. de fiſtula

ſtula lacrymali p.m.70. perioſtio non velari pronunciat, quo inductus exiſtimat, propter huius involucri defectum ipſiusque oſſis teneritatem id tam facile carie exedi. Vicina oſſa, utpote ethmoidis ſpongioſa & illa operiens planum vulgo dictum os, carie ſimul ſi exeſa ſunt, *tunc utique immedicabilis hæc fiſtula pronuncianda.* Sic dictum os vomer & ethmoidis ſpongioſa, nec non oſſa ipſius naſi eroſa quoque deprehenduntur in *ozæna* paululum inveterata: quod vitium adeo deteſtandum comitem habet odorem, ut omnes hoc laborantis conſortium fugiant. Obſervatum pluries fuit, huius atrocis incommodi cauſam in ſinu maxillari ſive Highmori antro latitaſſe. Quo itaque medelam hic afferrent, eradicato uno lateris affecti molari dente. acutoque adacto inſtrumento, ad ſinum usque viam ſibi pandebant: per quam non purulenta ſolum delaberetur materia, ſed medicamenta quoque infunderentur mundificantia. Hanc novam huic vitio medendi rationem ad cel. Anglum DRAKIVM, utpote auctorem, teſte Excell. Præſide, referimus: qui non ſolum hoc vitium primus inter Germanos & Gallos deſcripſit, ſed & nova ſimul fiſtulæ lacrymali occurrendi ratione ſpecillis & iniectionibus, quam primus poſt ANELIVM inſtituit, Chirurgiam locupletavit.

§. IV.

Mei non eſt inſtituti, commemorare inter viros celeberrimos de *cataractæ* natura motas lites, an ſcilicet lentis cryſtallinæ in cauſſa ſit opacitas? an a membrana illam ſepiente, radios viſorios tranſire pupillam renuente, vitium proficiſcatur? Cl. enim Præſes docte,

ut ſolet, ophthalmiatri illius quondam Pariſienſis WOOLHVSII, de membrana huius vitii cauſa frequentiore, confutavit ſententiam: cui quoque ipſa autopſia e diametro adverſatur anatomica. Huius potiſſimum loci eſt, a ſummo rerum opifice artificioſiſſime fabrefactum illum globum viſorium contemplari, quatenus nimirum illius cognitio chirurgo ad bene curandum, nec non prognoſin de illum tentantibus vitiis, quæ varia ſunt atque multiplicia, formandam, lucem accendere poſſunt. Membranarum itaque ex quibus oculus eſt conformatus, poſitum, limites atque naturam intimius pernoſcat; neque minus, quo ſitu & ordine humores membranas illas replentes ſibi ſuccedant; vaſorum quoque ſanguiferorum reptatum per nobiliſſimam hanc partem diſſeminatorum habeat cognitionem, quo illa, quantum datum erit, in ſubmergenda cataracta evitare ſciat. Hæc tenentem non terrebit peracta operatione interdum contingens corneæ collapſus, ab humoris aquei ex camera eius anteriore effuſione ortus: quod maxime contingere ſolet, quando ob pertinaciorem cataractæ adhæſionem acus ſolito plus ſurſum deorſumque fuit volvenda, foramenque, per quod adacta erat acus maiorem crebriori hoc motu nanciſcitur diametrum, humori adeo deſtillandi fit copia; fontibus quippe eius cognitis, ſponte illum reſarciri, facile coniectura aſſequetur. Iridem denique acu ne lædat, omni ſtudio caveat & attendat; eius enim læſio indivulſum viſus amiſſionem habet comitem. De viſus ratione formali Chirurgo quoque conſtare oportere ob id arbitror, quo ſtatim, ſi qua eius accidit alteratio, poſſit dignoſcere, qua

par-

parte hæreat vitium? ſanabile ſit, nec ne? quamvis, ſi dicendum quod res eſt, viſus læſionis cauſæ abſtruſæ interdum ſint admodum. Harum ideo partium ſtructuræ cognitione rite imbuto, in promtu erit, multis morbis, modo in ſe et ſua natura ſanationem admittant, quibus oculi obnoxii ſunt, rectius mederi; illos enim ſumma tuendos eſſe cura, quod magnam partem ad vitæ ſimul & uſum & dulcedinem conferunt, nemo facile diſputabit.

§. V.

Contingit nonnunquam, iſtas inſignes inter aurem & maxillæ angulum inferioris glandulas, PAROTIDES dictas, ut & MAXILLARES, in interiori anguli maxillæ inferioris parte ſitas, obſtrui, atque indureſcere, imo & in prægrandem molem attolli, ita quidem, ut ne efficaciſſimis quidem ſubinde obſequantur remediis. Ad *quarum* vero *extirpationem*, ob arterias capaciores non adeo omnis periculi expertem, præſtandam, chirurgus ſat inſignium ab externa carotide proficiſcentium ramorum, qui glandulas has rigant, iter ac naturam pernoſcat, quo, eiusmodi glandulam ſcirrhoſam, aut carcinoma minitantem extirpaturus, omnia ad manus habeat ſupprimendæ largiſſimæ ſanguinis profuſioni opportuna, modumque, quo hunc hic cohibeat, probe noſcat. Ob eandem rationem chirurgo in quacunque parte ſcalpellum admoturo tam utilis tamque neceſſaria ſemper eſt vaſorum iſtius partis, in qua operatur, ſanguiferorum cognitio; quæ ſi vel maiora, vel profundius ſita ſunt, quam ut ex illorum læſione,

oriundo ſanguinis profluvio, apta compreſſione, vel idonea ligatura obviam iri poſſit, nihil ſane moliendum eſt. Cl. PRÆSES primus fuiſſe mihi videtur, qui ex illarum rerum exacta conſideratione harum glandularum induratarum extirpationem præſtitit, quas alii ſcalpello, ob metum mortiferæ profuſionis ſanguinis, aggredi auſi non ſunt, ſuppeditata ſimul earum exſcindendarum ratione: de qua vid. ejus chirurgia. a)

Chirurgos quoque monere alienum haud fore reor, ne incautius ſe gerant, *in reſecando in recens natis linguæ, ſi opus eſt, frenulo;* vel & tumore ſub lingua, *ranula* dicto; facile enim ſubiecta vaſa ſanguifera, venam ſcilicet & arteriam raninam incidendo lethalem ſuſcitare poſſunt hæmorrhagiam; ſicut DIONISIVS obſervavit, b) vel lædendo nervos vicinos, convulſiones: c) ubi ſimul cautio adhibenda, *ne ductus ſalivales glandularum ſublingualium*, a WARTHONIO inventore nomen gerentes, ferramenti aciem experiantur. Sciendum præterea eſt, *ductum Stenonianum* in faciei & ſpeciatim genarum vulneribus diſciſſum ſemper illa reddere curatu difficiliora, quin & fiſtuloſa. In vulneribus itaque hic ampliandis atque tumoribus genarum aperiendis vel reſecandis, ſemper eius habeatur ratio, ne temere diſcindatur.

SECTIO

a) in operat. chirurg. cap. 98.

b) in operat. chirurg. ubi de hoc vitio agit.

c) vid. HILDANI obſerv. 8. centur. III.

SECTIO II.

COMPLECTENS, EAS, QVÆ IN COLLO ADMINISTRARI SOLENT OPERATIONES.

SYNOPSIS.

§. I. *De Bronchotomia.*
§. II. *De Strumarum, ſcrophularum ac tumorum cyſticorum, atheromatis, ſteatomatis, meliceridis extirpatione in collo.*
§. III. *De vulneribus collo inflictis, quatenus hic anatomiæ utilitatem afferat, demonſtratur.*

§. I.

Expoſitis quamplurimis vitiis, caput infeſtantibus iisque opponendis actionibus ſive operationibus Chirurgicis, quas prælucente ſcientia anatomica eo melius eoque ſecurius adminiſtrari, demonſtravi; tranſimus nunc ad præcipuas in collo inſtitui ſolitas. Quando itaque in morbo, *angina* dicto, lingua, fauces, muſculique pharyngis ac potiſſimum laryngis, valde intumeſcunt atque inflammantur, ſpiritu tamen non plane quidem intercluſo, magna tamen eius difficultate præſente, adeo ut metus ſtrangulationis inſtet ac terreat. Huic inflammationi periculoſiſſimæ, ſi efficaciſſima ad illam imminuendam rite fuerunt oppoſita remedia, verum æger levamen inde haud perſenſerit, non ſine vitæ diſcrimine differtur iſta actio chirurgica, quam BRONCHOTOMIAM ſive LARYNGOTOMIAM, imo adhuc rectius TRACHEOTOMIAM a) ſalutamus, quam ut dextre

a) quia non larynx, non bronchia, ſed *trachea* ſive aſpera arteria inciditur.

dextre peragat chirurgus, ex anatomicis ſitum, fabricamque tracheæ ſive aſperæ arteriæ probe noſcat, nimirum ex annulis cartilagineis, membranis interiectis, conſtructam, & deinde ut locum, in quo operatio eſt inſtituenda, accuratius ſciat, qui eſt interſtitium ſecundum inter & tertium, vel inter tertium & quartum annulum cartilagineum, & poſtea quibus muſculis a parte anteriori aſpera arteria ſit dotata, imo & qua parte nervi recurrentes excurrant non ignoret; ab horum hic enim aliarumque incongrua partium læſione vel diſciſſione multa eaque gravia ſuſcitarentur ſymptomata. Quarum vero partium, ſi veram et vivam chirurgus habuerit imaginem, hancce operationem, in ſe non adeo, ut vulgus cum veteribus putat, periculoſam, modo debito tempore & modo inſtituatur, ſine notabili ſanguinis profuſione aut alio graviori incommodo peragere & tracheam incidere poterit. Imo *ſi corpora peregrina illapſa* quoque ſunt in fiſtulam ſpiralem, ut faba, lapillus, nucleus ceraſorum vel prunorum etc. emoliri ea licebit, ſi modo duo vel tres aut plures etiam annuli inciduntur, donec aſpera arteria ad ea emolienda ſatis pateat. a) Ita quoque *aquis recens ſubmerſis* hac operatione tuto ſuccurri poſſe docuit DETHARDINGIVS, olim Roſtochienſis, nunc Hafnienſis Profeſſor Medicinæ doctiſſimus, b) ſi modo chirurgus mox aſperam arteriam parva plaga, ut in angina, aperire, tubulum ana-

a) caſus notatu dignus videri poterit in Cl. Præſidis chirurgia, cap. de Tracheotomia, dum plerique reliqui chirurgi de hac re tacent.

b) in diſſert. de methodo ſubveniendi ſubmerſis per laryngotomiam. in 4.

anatomicum ei immittere, flatu pulmones diſtendere, atque ſic ſuffocatum motum pulmonis & ſanguinis reſuſcitare didicerit: quæ omnia in anatomia rudis non audebit; vel ſi auderet, perficere recte haud poterit.

§. II.

Strumarum, ſcrophularum, tumorum cyſticorum, atheromatis, ſteatomatis, meliceridis & ſimilium in collo extirpationem vix quisquam ſuſcipere audebit, niſi in re anatomica probe ſit verſatus; aut ſi eorum extirpationem ſine hac notitia ſuſcipiet, profecto curandos utplurimum ignorantia ſua trucidabit. Atque ex hoc fonte ſine dubio ortæ ſunt illæ lacrymæ, quod tam pauci hactenus eiusmodi tumores ſcalpello auferre auſi ſint; ſed mala hæc utplurimum tanquam inſanabilia proclamaverint & reliquerint. Qui vero, cognita fabrica corporis humani, novit, tumores huiusmodi haud raro cum magnis vaſis ſanguiferis aut nervis, aut aliis nobilioribus partibus non eſſe nexos, ille ſæpiſſime eos ſcalpello vel incidere, materiam noxiam contentam educere, poſtea eos purgare & glutinare rurſus poterit; vel eos integros ſubinde reſecare, aut a partibus, quibus cohærent, ſcalpello ſine damno ſeparare valebit. E contrario etiam Anatomiæ probe gnarus, ubi ex ſtructura & ſitu partium cognoſcit, hos tumores magnis vaſis, nervis, laryngi, aſperæ arteriæ, gulæ, vel ſpinali medullæ ita nexos aut implicatos eſſe, ut ſine horum periculoſa læſione auferri aut reſecari nequeant, ab operatione prudenter abſtinebit: quam ſæpe cum mortis periculo Chirurgus aut circulator quidam temerarius

ſolius lucri cauſa ſuſcipit. Porro ſi eiusmodi mala ramis arteriarum carotidum externarum vel vertebralium non adeo magnis adhærent, qui tamen plerumque hic ſatis largam ſemper ſanguinis profuſionem concitare ſolent, anatomes peritus Chirurgus quidem ſcalpello ea removere ſatagit; verum periculi profuſionis ſanguinis pulchre gnarus, efficaciſſima ad eam cohibendam remedia præſto ſint curet, ut mox malis imminentibus quam potentiſſime reſiſtere valeat. Idem etiam ſentiendum, ſi tubercula talia in collo *medicamentis cauſticis ſive rodentibus* ſunt auferenda. Si enim Medicus ſitum ac naturam partium nobiliorum colli nexumque horum tumorum probe perſpectum non habet, maximo cum diſcrimine eos aggreditur, atque ægris ſic ſæpius mortem inducit. Sapiens contra anatomicus ea, ubi periculum eſt, non adhibebit; vel ſaltem non niſi ſumma cautione; ne ægro noceat, aut eum prorſus interficiat.

§. III.

Si *ad vulnera collo inflicta* deliganda chirurgus accerſitur, cumprimis ea, quæ largius comitatur ſanguinis profluvium, ſine vaſorum colli ſanguiferorum exacta notitia ſanguinem vix cohibere valebit. Ita & *ſi ipſi de partibus in illo læſis coram magiſtratu eſt renunciandum*, tunc utique requiritur, ut perfectam omnibusque numeris abſolutam habeat cognitionem partium in illo comprehenſarum, earumque cumprimis ſitus, v. g. *arteriarum & carotidum & vertebralium, venarum iugularium* internarum & externarum, illasque comitantium *nervorum, intercoſtalis*

ſtalis nimirum, & *paris vagi*, habitudiniſque dictarum partium ad *fiſtulam & cibalem & ſpiralem*, ut & quibus in partibus nervi recurrentes diſtribuantur, qua parte *nervus diaphragmaticus* oriatur & pectoris cavum ſubeat; neque minus nervorum brachialium diſtributionem habeat perſpectam, ut & ſingulorum muſculorum ſitum & figuram, quo potiſſimum in inciſionibus abſceſſuum, *glandularum ſcirrhoſarum*, *ac ſcrophularum* exſectione, quantum datum erit, illorum fibrarum directioni ſeſe accommodare, vaſaque maiora, quorum læſiones ſæpiſſime forent lethiferæ, ſcalpello ſubducere ſciat: quæ, quantam habeant utilitatem, cum in curandis hiſce malis, tum in apte præſagiendo dici vix poteſt. Tumorum vero prædictorum mobilium extirpatio, abſceſſuumque in hac parte inciſio temere ſine harum partium intimiori notitia ſuſcipitur.

SECTIO III.

SISTIT EAS OPERATIONES, QVAE IN PECTORIS AMBITV PERAGI SOLENT.

SYNOPSIS.

§. I. *Quæ in pectoris inciſione ſive paracenteſi,*

§. II. *Quæ in mammis cancroſis ſectione auferendis ſcitu ſunt neceſſaria.*

§. I.

SI vel ſanguini ſincero, vel iam in pus converſo, vel aquæ in pectoris cavitatem effuſis, exitum parare velimus, quod cito tamen ſatis perpetrandum, iſtam operationem adornamus, quam auctores *pectoris*

ctoris paracenteſin vocant. Vbi tamen hic de ſignis memoratorum vitiorum diagnoſticis, hancce operationem ſuadentibus, nihil dicam, neque de criteriis, quo in latere nimirum cauſa, ob quam hæc actio chirurgica adornanda, hæreat, aliquid monebo, cum alii de hisce ſatis præceperint; ſed modo anatomicam ſcientiam chirurgo hic neceſſariam adumbrabo. Perfectam itaque omnium, quæ ad pectoris cavitatem efformandam conſpirant, partium notitiam ſibi adquiſiverit, neceſſe eſt, utpote oſſearum v. g. *coſtarum*, reliquorumque in iis conſiderandorum; *vaſorum intercoſtalium* itineris præſertim ſive ſitus in interna & infima coſtæ ora: ne forte illa, dum pectus incidere vult, lædat, & ſi forte vulnere læſa ſunt, quo artificio illorum hæmorrhagia coercenda ſit, ſciat. Denique *ſepti transverſi nexus* probe intelligat: unde patebit qua altitudine & loco commode & tuto hæc ſit inſtituenda operatio. Ne autem ſacrolumbaris muſculi tendines temere diſcindantur, & debitam a vertebris dorſi dimetiendam diſtantiam ſervabit. Quod reſtat, reliquarum interiorum quoque partium, v. g. pulmonum, cordis, mediaſtini eiusque interſtitii celluloſi, in quo abſceſſus ſubinde latitant, ductus thoracici, vaſorum ſanguiferorum omnium maiorum, imo & œſophagi ſitum, & functiones, tanquam ungues ſuos, pernoſcat, ut ſtatim ad vulneratum vocatus, ceteris ſignis & ſymptomatibus ſimul conſideratis, perpendat, an vulnus periculum alat, nec ne? et appoſite præterea de vulneribus interiorum paulo ante recenſitarum partium renunciare didicerit.

§. II.

§. II.

Quod ad *cancroſam mammam*, ſectione auferendam, attinet, modo in operatione ſpes ſuperſit, glandulis nimirum ſubaxillaribus ceterisque iis vicinis ab obſtructione immunibus, hic potiſſimum tum a ſubclaviis, tum ab axillaribus oriundos per mammarum ſubſtantiam diſſeminatos ramos notet, nec non partes mammis ſubiacentes, utpote muſculum pectoralem utrumque: quod ideo ſumme utile, quo partem laborantem extirpaturus brachium extendendum amovendumque a corpore præcipiat, muſculum pectoralem maiorem hac ratione ſectioni ſubducendo, dum digitis ſic commode tangi, percipi & præcaveri eius læſio optime poteſt.

SECTIO IV.

ILLAS EXHIBET OPERATIONES, QVAS IN INFIMI VENTRIS AMBITV PERAGIMVS.

SYNOPSIS.

§. I. *De abdominis paracenteſi,*
§. II. *De herniarum differentiis.*
§. III. *De catheterum immiſſione.*
§. IV. *De variis lithotomiam adminiſtrandi modis.*
§. V. *De ani fiſtula ſectione curanda. Quarum partium cognitio hisce actionibus enumeratis Chirurgicis maxime velificetur, demonſtratur, ut in præcedentibus.*

§. I.

Si *aqua hydropicis eſt emittenda*, chirurgus quacunque ratione iſtam operationem adminiſtrare decreverit, ex anatomia perfecte calleat *muſculorum abdo-*

minis ſitum, connexionem, qua parte aponeurotice exporrigantur, quave parte carnei deprehendantur, ut debito loco ventrem ad aquam educendam perforet, & maxime etiam *vaginam iſtam, qua musculus rectus velatur*, ab obliquis abdominis muſculis ſuppeditatam, non ignoret: quippe quod in medela abſceſſuum iſta in vagina latitantium, nec non vulnerum ei inflictorum glutinatione multum ipſi fœnerat lucis; & quam denique ex aponeuroſi horum muſculorum conflatam videmus *lineam albam vitare ſciat. Arteriæ præterea epigaſtricæ* ſub muſculo recto excurrentis, & cum mammaria interna mutuis nexibus ſive anaſtomoſibus, ut vocant, illigatæ memor ſit. In *epigaſtricam, umbilicalem* atque *hypogaſtricam* abdominis diviſio, earumque ſubdiviſiones in *hypochondria, ilia, inguina, pubem*, certe non ſunt de nihilo; adeoque illas ſcire multum intereſt: has enim regiones ſcrupuloſius quidem diſterminaſſe, non facit modo ad adcuratius vulnera, tumores, abſceſſus, aliave ventris mala determinanda; ſed ad interiorum quoque hiſce regionibus in vario corporis ſitu varie reſpondentem poſitum viſcerum, quæ varia atque multiplicia miramur, eo facilius comprehendendum, imo & ad ſectiones & actiones nonnullas chirurgicas curioſius indigitandas.

§. II.

Quæ in muſculis abdominis, demtis ſive ablatis tegumentis communibus ſatis conſpicienda ſe offerunt *foramina* nonnulla, *peritonæi* interiori tunica retecta, v. g. *umbilici*, atque muſculi exterioris ſive

obli-

oblique *deſcendentis annulus*, altero vaſis umbilicalibus in fœtu, ſpermaticis altero in maribus tranſitum concedens, chordaque illa tendinea ex utriusque obliqui aponeuroſi & transverſalis ut & faſciæ latæ fibrillis aponeuroticis effecta, ſub *ligamenti Poupartii nomine* ſatis nota, ab oſſium pubis commiſſura ad oſſis ilei ſpinam ſuperiorem extenſa, tendines muſculorum & iliaci & pſoas, nec non vaſa illa magna *cruralia* ad pedes *transmittens.* Per ea & inteſtinum & omentum interdum, & quidem prægreſſis cauſſis violentis, ex abdomine devolvuntur; *qui prolapſus herniæ ſive ramicis nomine in genere inſigniri ſolet* atque varius & multiplex eſt, pro diverſitate partium atque viarum, per quas illæ deſcenderunt, vel ubi hærent: ita ut mox *inguinales*, quæ iterum completæ & incompletæ, vel *bubonocelæ* vel *oſcheocelæ* dicantur; mox *crurales*, mox *ventrales*, mox *omphalocelæ* ſive *exomphali* audiant. Pro partium vero varietate, quæ prociderunt, vel *epiplocele* vel *enterocele*, vel *epiplo-enterocele* vocantur. Quæ de *veſicæ herniis*, neque minus de iis, quæ per foramen oſſium innominatorum ovale extant obſervationes, illas ſuis relinquimus auctoribus, tanquam rariſſime occurrentes. Nihil præterea brevitati ſtudens hic dicam *de herniis* ſic dictis *ſpuriis*, quando v. g. vel ab humore vel ab increſcente carne, vel a ſpiritu in una alterave parte tumor tollitur; *hydrocele*, *ſarcocele*, *pneumatocele* dictis; quamvis ad harum curationem ſcientia anatomica valde itidem ſit neceſſaria; ſed ſolum de prioribus ſeu veris hic dicturus ſum.

Quod ſi accidit, *inteſtinum e ſede ſua dimotum*

ſive prolapſum eſſe, idque facile in ventrem refundi queat, aptis faſciis ſive vincturis parti proſpiciendum eſt, ne denuo evolvatur. Ad has vero rite conficiendas & aptandas, locus procidentiæ chirurgo probe cognitus ſit, quo iis tanto melius hoc præpedire queat: Sed ſi *vel ſtercore accepto, vel flatibus* mire diſtentum inteſtinum vaſtius tumet, quam quod facile retrocompelli poſſit, iter & tractus loci læſi rite perſpectus modum ſubminiſtrant, qua ratione commodius inteſtina refundantur. Vbi inprimis ſciendum, quod iter prolapſus per annulum muſculi obliqui etiam ſit obliquum, ab exteriore interiorem verſus partem, ſcilicet ad ſcrotum procedens. Qui itaque hic prolapſas partes ponere in ſuam ſedem velit, eas non recta ſurſum, nec introrſum compellat, ſed potius extrorſum. Contraria vero ratione res ſe habet, ſi per arcum, qui vaſa cruralia obducit, partes devolutæ ſunt; ubi igitur contrario modo, nimirum introrſum urgendæ ſunt, ſine qua notitia chirurgus ſæpe nihil efficere poteſt, imo potius ægro damnum inferet. In pertinaciori autem malo, quod *herniam incarceratam* vocamus, ſæpe adhibenda ſunt efficaciora remedia, v.g. largior miſſio ſanguinis remediaque emollendi virtute prædita imponenda, & ſi hæc parum ſunt, clyſteres vel conſueti acriores & emollientes, vel ex fumo nicotianæ bonæ notæ, miniſterio machinæ fumiductoriæ, ano immittendi; in caſſum vero hac ratione tentata *inteſtini reductione*; tunc ſcalpellum morbum deſiderare ſcias: quæ operatio, quarum partium maxime cognitionem expoſcat, nunc paucis dicendum. Hic autem omne punctum fert, paulo ante memorata *foramina, eorumque*

iter

iter ſive tractum partesque quibus exitum parant, intimius noſſe; quin & de *peritonæi natura* eiusque plicis laminæ internæ, proceſſibusque eius texti celluloſi chirurgo ſatis conſtet, quod ultra ſphæram ſuam dilatatum, partes prolapſas intus fovet; mox facta vel annulorum, ut & chordæ tendineæ inciſione, vel ſartum iſtud, quam methodum Chirurgo Gallo Petito in acceptum referimus, interdum quoque locum ſibi vindicat; vel inciſum, pro rerum varietate, una cum contentis eſt retrocompellendum. *Si autem partium prolapſarum inter ſe & cum illo coalitus ſuſpicio eſt*, maxima cum cautione eius apertura ſcalpello fiat, quo concretum inteſtinum a læſione immune præſtetur: iſte autem coalitus in *herniis paululum inveteratis eſt frequens* admodum. *In exomphali ſectione*, facta nimirum cruciali ſectione, *vitandum poſtea erit hepatis ligamentum rotundum;* qua itaque parte excurrat, dextra ſcilicet, ex anatomicis conſtet, adeoque umbilici ſectio in ſiniſtro latere ſurſum oblique perficienda. *Feliciter vero* ſi ceſſit ſectio herniæ incarceratæ, tunc utique ad amoliendum & avertendum reditum, eiusmodi prolapſum experto proſpiciendum eſt accommodata *vinctura* ſive faſcia robuſta; quæ ita comparata ſit, ut exitum prolabi ſolitarum partium ea ratione præpediat, ne ſubiecta vaſa ſanguifera aliquid inde capiant detrimenti: nam *in inguinalium medela miniſterio vincturæ, vaſa ſpermatica;* in cruralium vero, vaſa eius nominis attentionem merentur: quæ itaque bracheria utrumque præſtant, ad optima referas. *Arteriam adhæc cruralem venamque ſociam* ne lædat maxime attendat Chirurgus, ſcalpellum admoturus a miasma-

te venereo pureque ibi orto *turgidis glandulis inguinalibus*, quas *bubones vulgo* venereos appellamus: ubi potiſſimum ſcire refert, arteriam ſitu eſſe exteriorem vena. *Non dubitarunt plerique rerum periti* eiusmodi *hernias incarceratas*, remediis oppoſitis efficaciſſimis minus obſecundantes, *nonniſi ſcalpello curari poſſe* pronunciare audacter; quam quoque opinionem rerum uſus calculo ſuo ſæpe comprobavit, laborantibus nimirum ſectionem renuentibus fato cedentibus. Sed non poſſum non memorabilia aliquot hic Helmſtadii notata afferre exempla, quæ paulo ante, quam hic appuliſſem, contigerunt, & a D. Præſide relata accepi. Aliquot ſcilicet fœminæ hernias paſſæ inguinales (quamvis GARENGEOT crurales fœminis magis ſolennes eſſe pronunciet) eas ſine incommodo per aliquot tempus geſſerant, iis demum, neſcio qua occaſione data, pertinacius incarceratis, quam quæ retrocompelli potuiſſent, quamvis adhibitis efficaciſſimis remediis, non niſi in ſcalpello ſpem ſupereſſe aſſeverabant Medici; quod vero conſilium cum diſpliceret laborantibus, quæ mori mallebant, quam ita ſervari, paulo poſt accidit, ut herniæ incarceratæ tumor, de quarum vita fere actum credebatur, ſponte aperiretur, magna puris fœtidiſſimi, excrementorum & lumbricorum copia decidua; diris autem, ante, quam id contingeret, excruciabantur doloribus. Tres ex hisce fœminis ope mundantium & balſamicorum remediorum perfecte convaluerunt, iamque adhuc integra fruuntur valetudine; una pauperrima, & fortaſſe ob victus errores, extincta. Quæ ſat notabilia exempla ideo commemorare volui, ut pa-

pateſceret, nullam regulam tam firmam eſſe, quæ non patiatur exceptionem, animumque non ſtatim deſpondendum in eiusmodi quamvis deſperatis caſibus, cum multi adhuc evadant. Chirurgi Galli parum vel nihil hac de curatione proponunt, hosque caſus lethiferos plane pronunciant. Recens quoque exemplum mulieris hernia umbilicali incarcerata & ſuppurata laborantis, attamen curatæ, refert CHESELDENVS in lib. de alta operatione circa finem.

§. III.

Lotio, ob quamcunque id accidere poteſt cauſam, vel penitus *retento*, quod incommodum iſchuria audit, vel magna tamen eius reddendi difficultate urgente, quod vitium *dyſuriam*, Medici vocant; chirurgus illud manu emoliri tenetur, ſine quo auxilio æger ſæpe non diu ſuperſtes foret; quod ex nulla æque corporis humani excretione, iuſto diutius ſuppreſſa, maius imminet periculum, quam ex illa laticis urinoſi. Quo vero commode id exſequerentur artis magiſtri, excogitarunt fiſtulas, CELSI temporibus *æneas*, hodie autem ex argento potiſſimum conficiendas, quo nitidius lævari & poliri queant: quarum variam magnitudinem urinæ iter mox amplius, mox anguſtius, longius vel brevius, ſollicitat, quasve incurvas eſſe oportere flexuoſus, atque non inoffenſo itinere excurrens urinæ ductus ſatis commonſtrat. a) Ante vero quam mentio erit facienda variarum, quæ eam naturaliter reddi prohibere ſæpe poſſunt, cauſarum,

non

a) Figuræ & magnitudines in chirurgia D. Præſidis & apud alios quosdam ſcriptores chirurgicos videri poſſunt.

non a ſcopo alienum eſt, paucis *veſicæ partiumque illi contiguarum repetiiſſe ſtructuram* anatomicam: quam iuſto ſcrupuloſiorem eum in finem ſiſtere volui, quo, quando ad varia lithotomiæ genera venero, quæ & quales in quocunque partes aciem potiſſimum ſcalpelli experiantur, demonſtrarem; maximæ quoque utilitatis ſpe, impedimenta a variis partibus iisque affectis proficiſcentia, liquoremque obſcœnum naturaliter emitti prohibentia, eo accuratius hac ratione intellecta atque perſpecta iri. Quam autem in *pelvi*, ex plurium oſſium concurſu, ilei nimirum, iſchii, pubis, ſacri atque coccygis efformata cavitate, quæ una cum horum oſſium conſiderandis, quomodo coaluerit, quibusve id a ſummo rerum effectore adminiculis in teneriore cumprimis ætate præſtitum ſit, ſatis perſpecta habeat chirurgus, ſitam veſicam urinariam & quidem e regione oſſium pubis commiſſuræ cumque inteſtino recto in maribus, in fœminis inſuper cum uteri vagina arcte connexam ſcimus; ex variis membranis, ceparum fere more ſibi ſuperimpoſitis, conſtructa, dilatationis conſtrictionisve ope muſcularis tunicæ capax eſt. A parte muſculorum abdominis texto peritonæi celluloſo, a parte poſteriore ipſa eius interiori tunica velata, in fundi parte ſuperiore plica peritonæi transverſim excurrente ſuffulta, ipſa exinanita ſatis conſpicua, liquore vero turgente diſparet hæc ipſa plica; quod adeo locum fecit huic opinioni veſicam intra peritonæi locari duplicaturam. Liquore turgida vel flatu diſtenta, in adultis pars veſicæ inferior latitudine plerumque excedit fundum; qui pyri inſtar, cuius pediculus urachus eſt,

an-

anguſtior fit, ut CHESELDENVS eleganter delineavit; a) in infantibus vero & pueris res contrario plerumque modo ſe habet. Quando vero vacuefacta eſt, ſub oſſium pubis concameratione tota abſcondita iacet. *Ad vulnera veſicæ* inflicta eo accuratius determinanda, neque minus varias eius in variis lithotomiæ generibus ſectiones ſive inciſiones indicandas, commode & recte *dividitur* in *cervicem*, ſive collum, *corpus veſicæ* ſive *veſicam ipſam*, & *fundum*; b) partem præterea anteriorem & poſteriorem, ſuperiorem & inferiorem, nec non in partes laterales, quarum partes inferiores, ob ſinuatam figuram, *ſinus veſicæ* haud inepte dici poſſunt. Quas fibras transverſas in veſicæ collo diſpoſitas videmus, arcum æmulantes,

E *ſphin-*

a) lib. de alta operatione pag. 27. Tab. VI.

b) GARENGEOTVS in Splanchnologia ſua, ubi de veſica agit, *de eius diviſione ac diverſis illius partibus nihil quicquam docet*, quaſi hoc res ſit, nullius momenti; cum tamen e contrario in vulneribus & curationibus chirurgicis, quæ in veſica occurrunt, & præſertim in variis calculum e veſica extrahendi modis, ſcitu ſumme ſint neceſſaria, niſi tirones in graviſſimos imo lethiferos errores inducere velimus. Alii iique multi, *veſicam tantum in collum & fundum, omiſſo corpore veſicæ*, ſed male quoque diſtingunt, atque hi & ille, ſi de operatione alta ſcribunt, *fundum veſicæ* in hac curatione incidendum eſſe peſſime præcipiunt; quia eius inciſio, propter urinam inde in cavum abdominis perpetuo deſtillantem, ſemper mortiferas eſt. Itaque prudentiores cum doctiſſimo ROSSETO lib. de partu cæſareo, ubi an veſicæ vulnera mortifera ſint, inquirit, *corpus veſicæ & quidem prope cervicem ejus*, non fundum incidere docent, ubi veſica tuto ſauciari poteſt. Sicuti enim abſonum eſt corpus lagenæ, (cum qua veſica comparari ſolet atque etiam recte poteſt) fundum lagenæ appellare, cum partes ſint diverſæ; ita longe periculoſius imo lethiferum prorſus eſt fundum veſicæ, pro corpore veſicæ & quidem prope collum eius, ut ROSSETVS vult, incidere.

ſphincterem eius anatomici vocitant. Huic glandula ſuccedit, cordis figuram quodammodo referens, totamque veſicæ cervicem, (quæ & urethræ principium dici poteſt) ſuccingens, *proſtatæ* nomine inſignita. A parte autem veſicæ inferiori & poſteriori bina ſunt locata conceptacula, *veſiculæ ſeminales* dicta, liquori ſeminali in teſticulorum vaſis admodum intortis atque anfractuoſis, ſegregato inque epididymidum vaſculis ulterius elaborato, perque vaſa deferentia eo devecto, aſſervando deſtinata. Veſicae collo continuus ductus *urethra* vulgo, CELSO *urinæ iter* dictus, diſcrepantis admodum eſt magnitudinis & figuræ, ſemper viris quam ſexui ſequiori longior magisque tortuoſus, figuram quodammodo literæ S referens, ex duabus validis conſtans membranis, quibus ſubſtantia intertexta eſt ſpongioſa. In proſtatæ vicinia, ubi urethra furſum ante oſſa pubis inflecti incipit, deprehenditur textura ſpongioſa reliqua urethræ parte amplior, longitudine pollicem fere æquans, quæ *bulbus urethræ* dicitur; quia non inepte cum cepa comparari poteſt. Quam e contrario eiusdem texturæ in parte urethræ extrema notamus molem, *glans* vocatur: ad quam efficiendam quam maxime facit ſubſtantia cavernoſa urethræ, ut RVYSCHIVS primus docuit, a) eiusque parti poſteriori inſeruntur duo corpora penis cavernoſa. Proſtatam inter & urethræ bulbum quod animadvertitur ſpatium, ſubſtantia orbum eſt cavernoſa, mereque membraneum, adeoque *membranacea urethræ ſubſtantia* dici ſolet. In interiori urethræ ſuperficie quædam notatu digniſſima con-

a) in obſervat. ſuis anatomico-chirurgicis obſ. 100. pag. 137.

conſpectui ſeſe ſiſtunt, fiſtula ſcilicet urinæ ea, quæ pubis oſſa reſpicit, parte aperta; utpote eminentia *caput gallinaginis*, *verumontanum* alias nominata: in qua bina conſpiciuntur oſcula, quæ ſunt ductuum capſularum ſeminalium orificia. COWPERI *glandulas* illamque LITTRII, multaque alia ad eminentiorem alias harum partium cognitionem facientia, hic prætermitto; cum ea tantummodo recenſere organa animus ſit, quæ in actionibus chirurgicis & cumprimis catheterismo & in variis lithotomiæ generibus maxime ſcitu ſunt neceſſaria; ideoque & de *corporum penis cavernoſorum* ſtructura nihil præfabor. Attamen de *muſculis penis*, qui in lithotomia, quæ in perinæo ſive ſub ſcroto inſtituitur, probe obſervandi, nunc pauca proponam; quoniam non levioris eſt momenti res illorum punctum & fixum & mobile, eorumque ſitum ac progreſſum, non ignorare. A parte oſſium iſchii poſteriore, infra illorum cum pubis oſſibus coalitum, originem ducunt bini muſculi, *erectores penis* dicti, qui deinde ſurſum exporrecti, thalamosque corporum cavernoſorum a parte anteriori ambientes, ipſis inſeruntur. Alii *acceleratores* urinæ, itemque *urethræ conſtrictores* dicti, & a parte inferiori ligamenti oſſibus pubis interiecti, nec non ab ea parte oriuntur, ubi muſculos transverſales cum ani ſphinctere cutaneo vides coire, latius deinde excurrentes bulbum & urethræ partem inferiorem arcte ſatis ſuccingunt, ſeiuncti denique a ſe invicem & oblique exporrecti corporibus cavernoſis implantantur. Qui *transverſalis* nomine notus eſt musculus, ab oſſe iſchio haud procul ab ea parte, qua cum oſſe pubis

coaleſcit, ortum ducit, ea fere altitudine, quæ foraminis ovalis partem æquat inferiorem; *inteſtinum* deinde *rectum* & iſtam urethræ partem, quæ *mere membranacea*, ſubſtantia ſpongioſa orbata deprehenditur, dirimit, bulbo quoque urethræ a latere cumque ſuo ſocio ibidem nectitur. Sunt qui unicum illum eundemque continuum eſſe perhibent; ſed hæc de musculis & penis & urethræ ſufficiant. Nunc ordo rerum *vaſorum ſanguiferorum* deſiderat explanationem, læſionis periculo maxime in lithotomiæ ſpeciebus in perinæo inſtituendis, ſubiacentium. Qui in pelvi ſitis partibus rami arterioſi impertiuntur, ii omnes ab arteria *iliaca interna* ſive *hypogaſtrica* proficiscuntur; horum itaque diſtributiones propter rei gravitatem nunc ſcrupuloſius proſequar. *Arteriæ hypogaſtricæ* ramus, a latere ſive externa parte veſicæ ſurgens, nomen ſortitur *arteriæ umbilicalis*, quæ ea altitudine, quæ fere medium veſicæ æquat, in adultis tantummodo pervia obſervatur, ubi & veſicæ & utero in fœminis partibusve contiguis ramulos largitur; reliqua hujus arteriæ portio ad umbilicum usque vergens clauſa & in ligamentum quaſi in adultis tranſiit. Ab hypogaſtricæ curvatura quatuor vel quinque ut plurimum originem nanciscuntur rami; ſed dici vix poteſt, quanta varietas in diverſis ſubiectis ratione numeri, originis & diſtributionis imo & amplitudinis harum arteriarum animadvertatur; adeo ut confuſionis, errorum fœcundæ matris, vitandæ cauſa, hisce iliacæ internæ ramificationibus diverſa imponere nomina, pro partium in quibus diſſeminantur diverſitate, utile hic magis, quam curioſum ſit.

Iliacæ

Iliaca itaque, eaque *minor* ea nobis vocatur, quæ ad muſculum iliacum amandatur. *Glutæa*, per magnam oſſium innominatorum inciſuram pelvi exiens, glutæis & majori & medio ramos impertit. In hocce itinere veſicæ partibuſque in vicinia locatis ramulos fœnerat. Sed maximam hic illa meretur attentionem, quæ *pudenda interna* dicitur, quæque mox in binos inſignes dirimitur ramos. Prior a tergo ſpinæ iſchii, intra bina valida ligamenta, os iſchion ad ſacrum religantia, excurrit, iterque ſuum perpetuat in facie interna iſchii tuberculi, usque dum corporis attigerit cavernoſi hujus lateris thalamum: quo itinere emetito in plures dividitur ramos, *unus in ani ſphinctere* disparet, *arteria hæmorrhoidalis externa* cognominata; reliqui *bulbum urethræ & corpus cavernoſum tegumentaque* vicina alluunt. Alter inſignis ramus, *pudendæ externæ* nomine notus, veſicæ cum recto inteſtino ſubit conjunctionem, conceptaculisque in maribus ſeminalibus, veſicae collo, ac proſtatæ ramos impertiendo; quo facto, cum vena ſocia ſub oſſium pubis commiſſura pelvi egreditur, ad finem ſive apicem corporum cavernoſorum usque ſeſe extendens, hocque in itinere iſtis corporibus quamplurimis ramulis proſpicit. De *hypogaſtricæ rami ſat inſignis* per partem ſuperiorem foraminis ovalis oſſium innominatorum exeuntis diſtributione dicere nihil nunc attinet; ni forte id eo nomine neceſſarium eſſe dixeris, quod iſta arteria, ante, quam per modo memoratam viam pelvi egreditur, ramum non adeo quidem inſignem, glandulas rigantem inguinales tegumentaque, largitur; quod in incidendis glandulis

eius nominis, quo pus, vel virus venereum, quod recondunt, ſui fiat juris, utile eſſe poteſt.

§. III.

Hisce ſatis abundeque, ut arbitror, discuſſis, iam commemorare placet, *quæ ſubeſſe poſſunt cauſæ, catheteris immiſſionem impoſſibilem* reddentes. Catheterem itineris urinæ diametro reſpondere, ſaltem non ſuperare eum debere, nemo non intelligit. Verum enim vero mox *ſphincteris veſicæ inflammatio*, vel ſpasmus, mox ſubſtantiæ urethræ ſpongioſæ capitisque gallinaginis intumescentia, vel *abſceſſus* aut *tumor* in glandula proſtata, catheterem in veſicam demitti prohibent. Cl. MORGAGNVS iuſto *majorem proſtatam* huius difficultatis cauſam invenit; a) id quod & ſuperiori anno in viro quodam ſe vidiſſe D. Præſes mihi aſſeveravit, ubi ſimul tota in *ſcirrhum mutata* fuit. Quæ a *caruncula* in urinæ ductu orta, vel a *cicatrice* ſiniſtre curata gonorrhœa, vel a *rugis* ejus ductus, quando ſcilicet *iter urinæ collapſum* deprehenditur, quod ſenibus ſolenne, proficiscuntur cauſæ, immiſſionem fiſtularum reſpuentes, eæ palliativam, antequam fundamentalem, ſi ſpes ſupereſt, aggredi poſſumus, expoſcunt medelam. Iſta itaque operatio adornatur, quam *punctionem perinæi* dicimus, quæ diverſimode diverſisque in locis in hypogaſtrio ſcilicet, vel iis in locis, ubi apparatus & lateralis & magnus adminiſtrantur, inſtituitur: ubi partium in præcedentibus recenſitarum locuples atque viva cognitio itidem nunquam non requiritur. De iis ulterius illius im-

a) in Adverſ. anatom. III. pag. 83.

immiſſionem ſollicitantibus paucis dicendum; quod fit primo ad urinam propter alias cauſas, v. g. *propter calculum ſphincterem obturantem;* quem tamen catheteris beneficio retrocompellere minus tutum interdum eſt, ex quibus caſibus appoſite ſe expedire Chirurgus ſciat; deinde propter *paralyticam veſicæ affectionem*, vel ob urinam iuſto diutius ob aliam cauſam cohibitam, unde a nimia expanſione tonus veſicæ peſſundatur, facultateque illam emoliendi orbatur; vel denique quando *propter cruorem*, *fruſtula carnea*, vel *pus ſpiſſius*, a renibus & exulceratis & ſauciatis decidua, iter eius per veſicæ collum præcluditur, non retentam ſolum emoliendam, ſed eum quoque in finem, *quo de calculi in veſica exiſtentia eiusque magnitudine ac natura certiores nos reddamus:* ſciendum enim eſt, non certius medium de ejus exiſtentia certi quid ſtatuendi illa catheteris immiſſione dari. Rerum varietas interdum flagitat, ope parvi apparatus in veſicæ ſphinctere ita, ut ſupra poſui, irretitum expedire calculum, de quo mox dicendum. Quando in fœminis fiſtulæ ſive catheteris immiſſionem una vel altera ex enumeratis deſiderat circumſtantia, tunc qua parte urethræ orificium in vagina uteri pateat, ſatis ſciat chirurgus; alias eum immittere commode non poterit, ſed dolores, imo & noxas graves mulieri facile concitabit.

§. IV.

Certiores facti miniſterio fiſtulæ *de calculi in veſica exiſtentia*, maioris quam cuius exitus per urinæ iter anguſtius ſperari poſſit, tunc utique, quoniam non

non poſſumus de remediis facultate calculos atte-
rendi, comminuendi, rodendi aut diſſolvendi pol-
lentibus gloriari, utplurimum *non niſi a ſectione ſalus
exſpectanda eſt*, quæ in corpore ceteroquin ſano, non
decrepito, aut nimis extenuato vel debilitato, eo cer-
tius ſperatur. *Quatuor vulgo cyſtotomiæ rationes* ho-
die habentur atque uſu vigent; & quidem prima, per
parvum apparatum ſive CELSI methodum, quæ eſt
antiquiſſima; altera per *magnum apparatum*, quem &
Marianam methodum appellant; tertia per *altum ap-
paratum* ſive *methodum Franconicam*, a DOVGLASIIS
haud pridem in Anglia inſtauratam, & denique quar-
ta per *ſectionem lateralem* ſive vulgo dictam *Ravia-
nam*, quæ eſt eremitæ illius quondam celeberrimi,
fratris JACOBI dicti, Gallis *Frere Jaques*, ſiniſtre ut-
plurimum minusque fauſte ab eo Pariſiis & alibi paſ-
ſim exercita, propterea quod in anatomia plane rudis
erat, correcta methodus, quam Ravius in Hollandia in-
credibili felicitate atque ſucceſſu, dum vixit & valuit,
exercuit: cui addunt Medici Angli CHESELDE-
NII novum cyſtotomiæ modum, quem a Raviano di-
verſum eſſe volunt, & DOVGLASIVS primus latera-
lem ſectionem, cum antea *Raviana* appellata ſit, nun-
cupavit. a) In nimiam hæcce diſſertatio excreſceret
molem, ſi quæ fata hæcce varia cyſtotomiæ genera
experta fuerunt, ſcrupuloſius proſequi vellem, ſimul-
que indicare, quomodo in quolibet dextre manibus
uti debeat chirurgus; maxime cum de his artificiis ele-
ganter præceperint D. Præſes in ſua chirurgia & ſat no-
tus

a) Vid. ejus Hiſtoria operationis lateralis, quæ anglice Londini 1726
& deinde Lugd. Batav. 1728 latine prodiit.

tus chirurgus Pariſienſis GARENGEOT, in operationibus ſuis chirurgicis, gallice *Traité des operations de chirurgie:* mea tantummodo refert, brevitati ſtudens hic indicare, quam viam, ex anatome perſpiciendam, ſcalpellum in ſingulis ſibi pandat? quasve partes ante, quam ad veſicam pertingat, maxime offendat vel incidat, quasque potiſſimum vitandas & ratio & experientia iubent; de uniuscuiusque commodis & incommodis ſimul quædam allaturus, quæ unice partium ſtructuræ probe perſpectæ ſuperſtructa demonſtrabo.

Hæc per parvum apparatum methodus, quam elegantius, apud CELSVM memoriæ proditam invenimus, a) quam pro ſeculi genio ſperari poterat, ab eo quidem, quo methodus per magnum apparatum caput extulit, tempore, apud plerosque evileſcere cœpit; non ob hanc ſolum, quod in ſola fere ætate puerili tantum, quæ multorum eſt opinatio, adhiberi commode poſſit, rationem; ſed ob eam quoque, qua calculorum anguloſorum ſive ſpinoſorum, vel mole paululum excedentium, extractioni minus, quin partes eminentioris uſus ſimul facile lædantur, eſt accommodata. Varietas tamen rerum efficere poteſt, ut eam noſtra adhuc ætate non in pueris ſolum, in uſum optime & commodiſſime vocare queamus; verum & ſubinde in adultis, quando v. g. calculus in cervice veſicæ quaſi incuneatus hæreret, vel in principio urethræ eſſet irretitus, confugere ad eam cogamur, & in ea maxime parte urethræ, ubi ſubſtantia ſua

a) Lib. VII. cap. 26.

orbata deprehenditur ſpongioſa; cumprimis vero quando in ipſum veſicæ collum fortius adactus, figura præſertim conica favente, ſubſiſteret; tunc utique rationi magis conſentaneum, de illo, eo in loco, ubi hæret, educendo cogitare, quam illum imprudentius retroagendo in veſicam compellere, ubi ſummas moleſtias & dolores deinde concitaret. GARENGEOT in cap. *de l'extraction de la pierre au petit appareil*, p. m. 272. exemplum recenſet viri alicuius, cui calculus in urethræ parte hærens membranacea, hac methodo, parum tamen mutata, a celebri quondam Pariſino chirurgo, lithotomo famoſo, Thibauto fuit eductus. Quibusdam tamen difficultatibus atque periculis patet hæc cyſtotomiæ ratio. Nam non conceptacula modo liquoris in teſticulis excerpti ſeminalis, itemque inteſtinum rectum facile lædi poſſunt; ſed eo potiſſimum nomine infamata eſt, quod propter calculi figuram irregularem, anguloſam vel ſpinoſam, qui hac in methodo catheteris ſulco inſtructi munus gerit, veſica perfecte pro calculo extrahendo aperiri nequeat, atque inteſtinum denique rectum una cum veſica mirum in modum a ſpinis & eminentiis eiusmodi calculorum obteruntur: quo fit, ut diri dolores & ſpasmi ſuſcitati mortem maturent. Nec minus difficultatis exhibet minor & lævior calculus ſæpiſſime digitos non ſatis cautos & firmos effugiens; mollibus denique & arenoſis exiſtentibus calculis, adeo, ut facile dilabantur, impoſſibile quandoque eſt, viam patefieri poſſe, per quam promatur.

Hæc de cyſtotomiæ vetuſtiſſimæ difficultatibus monuiſſe ſufficiat. *Nunc de ea*, *quæ per magnum apparatum fit, calculi ſectione*, paucis disquiram, viſurus, quæ partes in illa offendantur? quasnam prærogativas, quasve comites habeat difficultates? In cadaveribus, quæ hanc perpeſſa ſunt operationem, diſſectis, urethram, bulbum urethræ, veſicæ collum, proſtatamque ad veſicam usque diviſam, vel per ferramenta immiſſa, vel per calculum eductum, ſicut DRANIVS egregie obſervavit ac notavit a) deprehendimus. Ad huius methodi indivulſa incommoda, iſtius pudendæ internæ in bulbo urethræ eiusque textura ſpongioſa diſtributi *rami arterioſi diſſectio* refertur; quæ tamen difficultas eo tantum nomine in cenſum venit, quod ob inde enatum ſanguinis profluvium operatio retardari poteſt. Maius autem periculum ſubeſſe ſolet, quando a *paulo maioris molis calculo* cervix veſicæ, per quam extrahendus eſt, ultra ſphæram ſuam dilatatur, imo ſæpiſſime laceratur; omni quamvis adhibita cautione, ne veſicæ collum, proſtatæque corpus, (quod & plane divulſum ab urethra aut veſica deprehenſum fuit) idque propter ſolito maiorem, quam ſuſtinere debuit, dilatationem, dilacerentur atque dirumpantur, in quo præſertim rudius procedentes committunt.

Accidere quoque ſolet, maiori calculo prompto ſive extracto laborantes *involuntariam*, modo per aliquod tempus, modo per totam vitam, laticis

F 2 uri-

a) in libro eius, cui titulus: *Parallele des differentes manieres de tirer la pierre hors de la veſſie*, par LE DRAN.

urinoſi infeſtare *excretionem*, quam *incontinentiam urinæ* vulgo vocare ſolent. Dilaceratis admodum hisce partibus, cum a mole, tum ab aſpritudine aut aculeis calculi, vel ſi pure in veſica moto, fiſtulæ, per quam deſtillaret pus, eiusque per longius iuſto temporis ſpatium uſus neceſſitas fuit; vel ſi quando laborantes ab eo, quo ſectionem ſuſtinuerunt, tempore duranteque curatione macie confici ceperunt: quarum rerum una vel altera præſente, non poteſt non aliter fieri, quin fiſſa vetuſtate indureſcant, certo callum habitura; ubi tamen in iis fiſtulis, quæ maciem ſupervenientem pro cauſa agnoſcunt, ſpes affulget, fore, ut cellulis iterum turgeſcentibus pinguedine, ea, quæ inducta fuit durities iterum aboleatur, prout ſolertibus id literis conſignatum invenimus obſervatoribus. Quod reliquum eſt, nimium dilacerata proſtata, obtritisque oſculis ad latera capitis gallinaginis patentibus, nec non iis, quæ proſtatæ liquorem plorant, certe ſæpius ad ſuſcipiendam prolem inhabiles redduntur ſanandi. Supereſt de iis dicere, quæ hancce methodum ſatis commendant. In omni veſicæ conſtitutione, calculique natura diſcrimineve eius vario, modo mole haud excedat, vel angulosſus vel ſpinoſus non exiſtat, hæc ſibi locum vindicat methodus, præſertim ſi artis magiſter in alia æque dextre uti manibus neſciat. Omnium ergo, quæ habentur, methodorum encheireſes appoſite exercere diſcat, quo ad omnem veſicæ calculique naturam itidem variam docte ſe componere ſciat; iſtam maxime in ſubſidium vocans methodum, quam res flagitant in uno alterove curando. Nullo non negotio fracto vel dilapſo calculo

culo forceps iterum demitti in veſicam poterit; globuli adhæc arenoſi a calculo decidui ſuperſtites facile cum liquore obſcœno emanabunt. Quando veſicæ, urgentibus circumſtantiis, medicamenta puri movendo idonea erunt infundenda, eoque moto, ipſa liquore erit eluenda, commode minor fiſtula introduci poterit. Quod reſtat, eæ, quæ nimiæ obſecundarunt dilatationi partes, haud difficulter ſæpe priſtinum ſuum robur naturale, quod tonum ſalutamus, recuperare queunt, pureque ſuborto, iterum glutinari.

De ea, quæ fit *per altum apparatum*, methodo dicere nunc nihil non attinet, quam reliquis excellentiorem auctores quamplurimi recentiores pronunciare non dubitarunt; quod & laticis urinoſi involuntariam excretionem fiſtulasque in perinæo non habet pediſequas. Sed eandem ſuis quoque ſubiacere difficultatibus, ubi tamen commoda cum incommodis collata longe illa his antecellunt, paulo infra, quando de eius commodis dixero, fuſius proſequar. Quæ in ſuperioribus veſicæ partium ei nexarum, earumque inter ſe habitudinis, quoad ſitum & figuram ſuppeditata fuit idea, hac in operatione maxime menti obverſetur, alias hallucinabitur admodum hac methodo utens. Veſicam exinanitam ſub fornice ex oſſium pubis concurſu enata, abſcondi, ſupra poſui; quoniam vero calculo laborantes, ob ſtimulum fere perpetuum & moleſtiſſimum ſolito frequentius urinam reddere coguntur, quam a cuius copia veſica commode diſtendi poſſit, emergit inde fere neceſſitas illam replendi: quo liquore turgida oſſium pubis commiſſuram altitudine excedat, eoque

melius ſectioni pateat. *Veſicæ autem repletionem non ſemper eſſe neceſſariam*, imo interdum plane impoſſibilem, varia exempla, quæ apud auctores, qui hac de methodo ſcripſerunt, & cumprimis apud Cl. Præſidem, cum in diſſertatione de *Alto Adparatu*, tum in Chirurgia ſua, videri poſſunt; quin & ipſe huius methodi inventor PETRVS FRANCVS, neceſſitate ita flagitante, haud repleta veſica, ad hypogaſtricam iſtam ſectionem confugit, victus parentum pueri, quem curaverat, precibus: quæ etiamſi ex voto ceſſerit, deſperatam tamen iſtam pronunciavit, ſerioque illam diſſuaſit. Simile quid notavit ROSSETVS, quod legimus in eius de partu cæſareo tractatu pag. 282. editionis Pariſinæ, illudque exemplum etiam retulerunt DOVGLASIVS in Lithotomia Douglaſſiana edit. II. & CHESELDENVS in lib. de alta operatione. Verum tamen maiori ſemper cum circumſpectione, omnique, cuius capax eſt chirurgus, dexteritate erit adminiſtranda hæc ſectio, veſica omni liquore vacua. Ob ea vero *commoda cæteris methodis hæc ſuperior prædicanda*, quod *calculi maiores*, *anguloſi*, *ſpinoſi* beneficio huius methodi commodius, ſine notabili partium dilaceratione, prout in methodo per magnum apparatum ſolenne hoc admodum eſſe ſolet, promi poſſint. *Molles* denique, *fragiles* atque *arenoſi calculi*, quamvis facile quidem dilabantur, tamen digitis in veſicam immiſſis, quod eſt huius methodi commodum ſingulare, omnia eius fragmenta quam curioſiſſime educi queunt, ſingularibus ſimul, ſi res flagitat, adhibitis ferramentis, v. c. cochlearibus in hunc finem excogitatis. Cæteroquin *partes veſicæ*,

v.g.

v. g. eius *collum* ſive *ſphincter*, continuum ei urinæ iter, *urethra* vulgo dictum, illiusque principium ambiens *proſtata*, reliquave *generationis negotio famulantia organa*, v.c. penis musculi, veſiculæ ſeminales earumque ductus excretorii, illibata permanentia non minus hancce commendant methodum: eamque etiam ab *urinæ incontinentia fiſtulisque in perinæo* eſſe quam alieniſſimam, paulo ante iam tetigi. *Vreter* atque *inteſtinum rectum* nulla ratione læduntur, nec *vaſorum maiorum diſciſſio* hic facile eſt pertimeſcenda; nam exigua plerumque ſunt vaſa per ſuperiorem veſicæ partem diſtributa. Eo quoque nomine ſeſe commendat, quod *paucioribus in hac methodo utimur ferramentis*; nec a *catheterum* ſulcatorum *rudiori contactu* inducta urethræ atque veſicæ mala, qualia obſervabit TOLETVS in lib. delithotom. cap. XIII, ſunt metuenda. *Ductoribus*, qui in magno apparatu & laterali ſectione adhibentur, *profundius immiſſis veſica hic perforari haud poteſt*; nam hæcce ferramenta in hac operatione non vocantur in ſubſidium. Laqueis præterea hac in methodo fere ſuperſedere poſſumus, præſertim in pueris; quo fit, ut non tantus, quantus in prædictis methodis, curandis incutiatur terror. Quod omnia, *quæ in veſica geruntur* appoſite *digitis explorare valemus*, non pro minore eſt reputandum commodo. *Calculi minores*, quanta difficultate in aliis methodis veſtigentur, de eo inter alios conqueritur magnus ille methodi Ravianæ præco DENYSIVS, ita ut etiam propterea ab operatione prorſus deſiſtendum ſuadeat: a) qui tamen

a) in obſervat. ſuis chirurgicis de calculo.

men hac in methodo, præſertim ſi digitis ano immiſſis, veſica a miniſtro, una cum calculis ibidem hoſpitantibus, ſurſum propellitur, facile chirurgi digitis ſeſe obtrudunt. *Calculi veſicæ adhærentes* cumque illa concreti, quale exemplum habet Cl. Præſes in ſua de alto apparatu diſſertatione, ut vetuſtiores obſervationes iſtamque THORNHILLII a) nunc taceam, digitorum beneficio facile ſui iuris fieri poſſunt. *Calculo in foveis atque plicis veſicæ*, quales RIOLANVS etiam vidit, nidulante, vel curando catheteris ſulcati immiſſionem abnuente, vel alia cauſa urgente, quæ illum demitti prohiberet, qua, quæſo! methodo laborantem a calculo liberares? Quod denique *hæc methodus pro omnium facillima* a ROSSETO & PIETREO Med. Pariſino aliisque nonnullis habetur, eo quidem nomine verum eſt, quod rectiſſima & breviſſima per tegumenta & muſculos inciſos ad veſicam itur, ea nimirum ſatis repleta & probe diſtenta; contrario vero modo re ſe habente, veſica ſcilicet non repleta propter anguſtiſſimum inter oſſa pubis & peritonæum ſpatium, b) facilemque fundi veſicæ lethiferam læſionem, difficillimis profecto eſt accenſenda. A DENYSIO, lithotomo Leidenſi, adhuc variæ contra hanc methodum motæ ſunt obiectiones & difficultates, & 1. quidem eam, ut perhibet, in plurimis, multas ob rationes ſæpe eſſe impoſſibilem 2. eam eſſe diuturniorem laterali; 3. eam eſſe atrocioribus coniunctam doloribus; 4. eam in minoribus veſicis

a) Vid. Lithotom. Douglaſiana edit. II. pag. 9. & MORAND. Traité du haut appareil p. 152.

b) conf. BIDLOI Anatom. Tab. 41.

veſicis adminiſtrari haud poſſe. 5. Obiicit a penis compreſſione, ne liquor infuſus diffluat, oriunda incommoda. 6. Reſupinum curandorum perpetuum decubitum etiam tanquam difficultatem venditat. Ultimum regerit fruſta calculi & arenulas maiori difficultate hac, quam laterali methodo, educi, hominesque alta ſanatos operatione diu continere urinam haud poſſe, quas tamen recenſitas difficultates Excell. Præſes in chirurgia ſua latina, quæ proxime prodibit, quam doctiſſime diſcuſſit atque expunxit.

Ad *difficultates*, *quibus alta iſta methodus patet*, iam tranſeo, ne quis exiſtimet me temere velle, eam promiſcue eſſe adhibendam.

Quo nimirum oſſium pubis ſupereminere commiſſuram veſica, illam fiſtula argentea ſive cathetere, Gallis vulgo *algaly*, cui ex mente CHESELDENII bovis ureter, vel ut alii volunt galli Indici aſpera arteria, vel etiam fiſtula ex corio idoneo accommodari poteſt, replendam præcipiunt auctores; quod ſi vero iuſto citius Chirurgus repletionis voti damnari cupit, diris ſuſcitatis doloribus fine ſuo excidit, opusque inabſolutum relinquere cogitur: naturam enim hic, ut in omnibus æmulari decet, latice quippe urinoſo ſenſim ſenſimque per ureteres in veſicam deſtillante. *Corpore* denique *ipſius veſicæ*, a *parte ſcilicet poſteriore*, quæ inteſtina & cavum abdominis ſpectat, inciſo, liquor obſcœnus in abdominis cavum ſeſe exonerans, putreſcendo ſimul putredinoſa contenta in eo viſcera adficiet labe, & ex hoc fonte ſcaturit genuina lethalitatis & vulnerum veſicæ in univerſum & ſpeciatim etiam

G hu-

huius male adminiſtratæ ſectionis cauſa. Quod ne fiat, maxime velificatur iſta encheireſis, quando ſcilicet ſectionem in ima anteriore veſicæ parte e regione fere iuncturæ oſſium pubis inchoatam, prudenter & cumprimis ſcalpello lenticulato ſurſum ducimus; qua encheireſi adhibita peritonæum aut fundum veſicæ non facile lædes. Si quis enim in eiusmodi minoribus vel collapſis veſicis ſine peritonæi & fundi læſione incidendis non ſatis eſt verſatus, aliam potius methodum, in qua melius manibus uti didicit, ſequatur. *Minores igitur veſicæ huic methodo minus quam ampliores ſunt adcommodatæ;* quamvis duorum ac trium annorum pueri hac methodo a calculo feliciter liberati ſint. Vlterius hic monendum duxi, *non æque facile trigeſimum annum ſupergreſſos huic methodo eſſe ſubiiciendos*, maxime *debilitatos* admodum diuque iam calculi doloribus excruciatos; vel aliis morbis ſimul detentos v.c. ulcere renum, veſicæ etc.; quamvis etiam interdum ſenes ea feliciter reſtituti ſint. Cauſa, ob quam hæcce cyſtotomiæ ratio commode provectioris ætatis hominibus adhiberi haud poteſt, feliciusque utplurimum in iunioribus ceſſiſſe obſervatum fuit, nullam fere aliam idoneam novi, quam quod, experientia teſte, in iunioribus hæc vulnera leviora plerumque ſymptomata moveant, ac certius & facilius, quam in ſenioribus glutinentur. Modo recenſitam opinionem Cl. Præſes in ſua, quam de alto habuit apparatu diſſertatione, nec non in chirurgia, itemque DOVGLASSIVS in tractatu de alto apparatu, CHESELDENIVS, SMITHIVS, TORNHILLIVS apud DOVGLASIVM & MORANDVM aliique calculo ſuo com-

comprobant, priore aſſeverante, nullum ex iunioribus, quos ab hoc malo huius methodi beneficio vindicavit, exſpiraſſe. TOLETVS, a) GARENGEOT b) aliique modum hanc ſectionem adminiſtrandi ſuppeditantes, *veſicæ fundum ſauciandum imperant;* forte haud memores diverſarum partium veſicæ earumque rectæ diviſionis & denominationis, eamque bene menti ſibi non ſiſtentes, alias facile, hoc tuto fieri haud poſſe, perſpexiſſent. Imo GARENGEOTVM tanto magis comprehendere oportuiſſet; quippe qui ſingularem & omnibus reliquis præſtantiorem ſe peritonæi in ſua Splanchnologia dediſſe crepat deſcriptionem, fundum non poſſe ita incidi, ut maioris molis calculus poſſit promi; quin peritonæum ſimul læſionis periculo certo ſubiiciatur. Ipſe ROSSETVS, in ſuo de partu cæſareo tractatu, iam *fundi inciſionem damnat* atque prohibet, eamque in corpore veſicæ & quidem iuxta cervicem eius inſtituendam eſſe præcipit. Quam poſtremum lineæ albæ inciſionem nonnulli, ut GARENGEOT, in hac ſectione periculoſam adeoque ſerio vitandam eſſe, auctores ſunt, de lana caprina diſceptant; nam æque facile conſolidari poteſt, ac muſculi inciſi, teſte experientia, optima rerum magiſtra. c) Quoniam vero unam methodum præ altera certis in caſibus magis convenire ratione & uſu didicimus, idque pro ægrorum, veſicarum, calculorum, aliarumque rerum va-

 rie-

a) Lib. de Lithotomia, cap. XIII de alto apparatu.

b) operat. chirurg. cap. de alto apparatu.

c) conf. MORANDI libellus de alta operatione pag. 92. 209. 235. 250. itemque WINSLOVII diſſertatio in eodem libro, p. 336. ubi hæc cautio ficta atque imaginaria prædicatur.

rietate; prona fluit conſequentia, in omnibus & ſingulis chirurgum, qui arduam hanc curationem ſuſcipere vult, exercitatum eſſe oportere; quo ad hanc varietatem, prout opus eſt, rite ſeſe componere poſſit.

Ad SECTIONEM LATERALEM RAVIANAM tranſeo: quæ ſi ad amuſſim eius methodi, quam tamen ſanctiorem habuit, a) & non niſi a quibusdam, qui ipſum ſectionem hanc perficere viderunt, quantum ex viſu ſive aſpectu cognoſcere potuerunt, deſcripta eſt, debite adminiſtratur; diſſecto deinde ex arte & prudentiſſime cadavere, partem urethræ membranaceam, glandulæ proſtatæ partem ſuperiorem, ſecundum longitudinem parum inciſas, veſicæ cervicem, ipſumque eius corpus ad latitudinem transverſi digiti vel fere pollicis ſauciata deprehendes. *Muſculi* præterea *elevatoris ani* huius lateris portionem ac textum, qui muſculum hunc atque veſicam interiacet, celluloſum ſimul offendis; eiusdem quoque lateris liquoris genitalis conceptaculum inciſionem interdum, leviſſimam tamen, experiri poteſt, quæ vero tanta non eſt, quanta illud ſuo non amplius fungi officio prohibere poſſit. ALBINVS, filius, in vita RAVII, quam cum orbe litterato communicare voluit, ubi ſimul ipſius ſecandi methodum ea, qua potuit accuratione adumbravit, ſuſtinet quidem, (quamvis ALBINVS Pater, quod cervicem Ravius inciderit,

a) DENYSIVS quidem in obſerv. ſuis chirurg. pag. III. aſſeverat, RAVIVM huius artis myſteria in articulo quaſi mortis ipſi revelaſſe. Sed cum ALBINVS pater & filius in vita eius referant, RAVIVM tunc non compotem mentis fuiſſe, vix DENYSIO fides haberi hic poterit.

rit, auctor exiſtat,a) *ipſum tantum veſicæ corpus* ſauciaſſe, reliquis ipſi contiguis partibus, urethra ſcilicet, veſicæ collo, proſtataque prorſus illibatis permanentibus; ſed DOVGLASSIVS in methodo laterali & MORANDVS in Schedula Acad. Reg. A. 1731. contra ALBINVM filium, ſolum veſicæ corpus incidi hic haud poſſe, ſuſtinuerunt; ipſa quoque partium ſtructura anatomica, quin & toties a GARENGEOTO & PERCHETO, itidem Chirurgo Pariſienſi, ut & a Præſide non infauſto omine facta ſæpiusque repetita circa hanc ſectionem in cadaveribus pericula huic ſubſcribere opinioni vetant. Quare & ego non dubito aſſeverare, *Ravianam inter & iſtam chirurgi Angli Cheſeldeni methodum nullam* fere intercedere differentiam, præter illam forte, quam ab auctoris huius ſingularibus ferramentis encheireſibusque mutuari dixeris. Quæ hanc *methodum comitari ſolent difficultates*, nonniſi certo reſpectu tales ſalutari poſſunt; & ſi dicendum, quod res eſt, tanti haud ſunt momenti, quæ hunc cyſtotomiæ modum ſuſcipiendum diſſuadeant: veſica quippe affecta, catheteris contactus dolores pariet atroces; veſica parva vel calloſa exiſtente, catheteris curvatura non æque bene ſpatio, quod oſſium pubis fornicem atque iſchii tuber interiacet, nec obverti nec protuberare ſatis, adeoque difficilius ipſe catheter, quamvis peracta integumentorum inciſione, veſtigari poterit. DRANIVS difficultatibus huius methodi accenſet, iſtam, quam fiſtula minor argentea, quæ in magno apparatu per vulnus in veſicam a quibusdam immitti ſolet, e ſede ſua deturbata, ite-

a) in oratione in obitum RAVII pag. 29.

rum demittenda, puris movendi in veſica urgente neceſſitate, quod in duriuscula veſica, fungorumque extractione præſtita nonnulli auctores neceſſarium iudicant, exhibere poſſet. Sed ipſum Fratrem IACOBVM, RAVIVM, ac CHESELDENIVM, illam fiſtulam ſive cannulam nunquam in uſum vocaſſe conſtat; quin ipſe RAVIVS ipſam adhibendam eam ob rationem diſſuaſit, quod callum adeoque & fiſtulam ab eius uſu oræ vulneris ſæpe eſſent habituræ. Recenſet adhæc DRANIVS aliquot exempla, ubi ſuppuratione in veſica orta, pus commode per vulnus deſtillavit, quamvis non demiſſa in veſicam argentea illa fiſtula; incommodum adeoque non eſt dicendum, quod plane ad rem non pertinet. *Altius inſuper vel humilius ſecando chirurgus admodum offendere poteſt*; priore caſu, pudendæ arteriæ ramus internus facile diſcinditur, & hoc nomine pluribus Fratris IACOBI ſcalpellus fuit exitioſus: poſteriore vero, inteſtinum rectum læſionis patet periculo; quod & imprudenter ab ipſo eremita Sequano modo memorato a Meryo aliisque ſæpius læſum fuit repertum. In id ideo intentus maxime ſit Chirurgus, *ut muſculum inter erectorem atque acceleratorem* ad cervicem ipſamque *veſicam ſcalpello viam ſibi ſternat*, devia omni modo quam cautiſſime vitando. Addo ex hac methodo redundantia commoda, *veſicæ minores æque ac capaciores* huic ſunt ſatis opportunæ methodo. Nulla ad erectores corporaque nervoſa, &c. tranſeunt vitia ab hac adhibita methodo, ut in magno apparatu; urinæ incontinentiæ, fiſtulæque in perinæo perennes, quin & facultatis generis humani ſervatricis iactura, non

æque facile in iis, qui hanc ſectionem paſſi ſunt, obſervantur: verbo, *neque generationi neque urinæ continendæ deſtinatæ partes hac ſecandi ratione rite inſtituta* noxam ſentiunt. A fratre quidem IACOBO ſecti plurimi vel laticis urinoſi involuntaria excretione, vel ſuſcipiendæ prolis deſperatione, vel fiſtulis in perinæo turpiſſimis relictis vitam redimerunt; quæ tamen phænomena non ad ipſam methodum, ſed ad eius cæcam ignorantiam ſiniſtreque peractam ab ipſo ſectionem iure pertinent:temere enim confodiebat partes idque ferramentis non ſat idoneis. Quæ in magno apparatu quamvis aliquatenus ſectæ partes, v. c. acceleratorum alter, bulbusque urethræ, illæſa fere manente ea parte, quæ *urethræ pars membranacea* dicitur, dilatantur quin *dilacerantur, admodum, glanduloſo corpore proſtata* ſimul vehementius obtrito; eæ omnes in laterali, ut loqui amant, apparatu partim ſunt immunes ab eo inde redundante periculo, partim plane non ſectioni obviæ. Inciduntur enim omnino partes ſupra indicatæ, per quas educendus eſt calculus, iisque ſemel patefactis vix ulla amplius vis infertur. Sectione præterea partes minus quam contuſione atque dilaceratione lædi, facilius quoque eas glutinari, omnium ſagaciorum eſt conſenſus atque opinatio. Quam facilis denique & appoſita ſit per lateralem ſectionem *veſicæ expurgandæ ratio*, ſectionis ſatis indigitat locus: quam commodiſſime enim, ſi quæ ſunt mucoſa, arenoſa, cruenta ſponte ſe per hanc viam evacuare atque derivare poſſunt. *Mitiores hanc ſectionem comitari dolores*, & a priore & a poſteriore indubitata eſt veritas; quoniam partes ſemel

ſcal-

ſcalpello inciſæ ulterius non dilacerantur; maiorem quoque facile, ſi forte opus eſt, ſubire per ſuam naturam dilatationem poſſunt. *Largior ſanguinis profuſio* in hac ſectione, debite tamen peragenda, non eſt facile pertimeſcenda: præter ramulum enim hæmorrhoidalis externæ arteriæ nullum amplius læditur vas ſanguiferum, qui ipſe diſciſſus ſtatim ſeſe coarctando ſanguinis non excitat profluvium, ac ceteroquin etiam nihil adfert incommodi. Inflammantur rarius vicinæ partes, quoniam mitius calculi extractio peragi poteſt, atque ſic violenta cervicis dilaceratio evitatur. Longe aliter ſe habet res in magno apparatu: ubi propter violentam cervicis & urethræ diductionem ac dilacerationem inflammatio longe lateque populari viſitur, extractione cumprimis violentius acta. Quæ in ipſa ſectione ſumme obſervatu ſunt neceſſaria, quo ſcilicet nates ſint elatiores, crura diducta, calcanei ad nates retracti, atque vel deligati vel a duobus robuſtis firmiter comprehenſi ac firmati, ut Fratri JACOBO placebat; ea omnia, ſi menti obverſantur, quæ intus geruntur, ſatis arguunt, extenſis, ſectione peracta, cruribus, oras plagæ inflictæ ſatis adduci ſive applicari ad ſe invicem: quo fit, ut non facilius ſolum vulnus glutinetur; ſed, quod caput rei eſt, urina quaſi cogatur, viam quærere ſive affectare naturalem: ubi, quamvis nonnulli urinam potius per vulnus, quam ipſius iter naturale, propter validum ſphincteris reniſum, diffluere exiſtiment, experientia tamen plurimorum, qui hanc curationem ita inſtituerunt, iſtam ſatis explodit opinationem.

Singularem quoque meretur animadverſionem

SECTIO

SECTIO CHESELDENIANA; quam, etiamſi a Raviana non multum eam diſcrepare, in antecedentibus monui; tamen & ferramentis & modo, ubi & qua ratione veſicam & collum incidit, illam ab ea revera differre, non a vero abhorret.

Quo vero demonſtrarem, *quæ & qualis ſectionem Cheſeldenianam ac Ravianam intercedat differentia*, paucis hæc habeto. Vulnus exterius eo fere in loco infligit, quo & JACOBO & RAVIO id infligere ſolenne erat; ſed longius ſupra & infra illud ampliat, eum potiſſimum in finem, quo eo commodius per vulnus amplum ferramenta, quæ placent ac neceſſaria ſunt, in veſicam demitti, calculique, cumprimis paulo maiores, promi facilius queant. Interne vero, dum finem urethræ, totum veſicæ collum & ſimul partem veſicæ huic proximam incidit, quo JACOBVM & RAVIVM itidem imitatur, id agit, quo ſcilicet & interne iuxta veſicam & in ea primo ampliorem plagam, ſine inteſtini tamen recti læſione, quod alias in apparatu laterali facile lædi poteſt, efficere & denique calculos, eosque maiores, tanto commodius emoliri per hoc quoque vulnus ipſi in promtu ſit.

Sed *recentiſſimam* quoque eius methodi rationem, quam DOVGLASIVS patefecit, hic ſuppeditare a ſcopo noſtro haud alienum eſſe duxi, quæ ſic ſe habet. Scalpellum, facta prius, ut antea dictum eſt, plaga externa, primo in veſicæ partem inferiorem & lateralem, ſive in ſinum veſicæ ſiniſtrum, poſt & mox ſupra glandulam proſtatam & ſupra conceptacula ſeminalia demittit, plagamque hanc poſthæc antrorſum per ſphincterem veſicæ, proſtatam & ſuccedentem huic

H par-

partem urethræ membranaceam usque ad bulbum eius continuat; hac quippe encheireſi eo certius inteſtini recti impediri læſionem, quam in præcedente & Raviana methodo, aſſeverat; in priore enim incidendi ratione bulbum urethræ obeſſe contendit, quo minus ſulcus catheteris commode veſtigari ac eo duce plaga infligi poſſit. Examinatis iis partibus, quæ in CHESELDENI methodo ſectioni maxime obnoxiæ ſunt, ſimul conſtare arbitror, quod ſi imago earum partium, per quas ex parte inciſas ex parte dilatatas, interdum dilaceratas quoque in magno apparatu ad veſicam itur, menti adhuc legentis obverſatur, tunc hanc methodum cum magno apparatu multum alere affinitatis, ipſi in propatulo erit.

Quoties vero auctor de illa magis emendanda cogitavit, toties tamen illam ab omnibus vindicare incommodis haud potuit; quarum potiores tantum hic recenſere animus eſt. Catheterem nimirum in veſicam demiſſum ſulcatum CHESELDENVS ſuſtinendum miniſtro tradit; qui tamen non rite eum firmare ſive temperare ſciens, facile efficit, ut agentem turbet, & hic eo ipſo curandum quam maxime graviterque offendat; id quod hoc nomine incommodum huius methodi ſalutari poteſt, quamvis tamen, ſi miniſter ſatis prudens, pro commodo haberi poſſit, dum chirurgus utraque manu in vulnere uti, atque ſiniſtra ſcalpellum tanto curatius dirigere valet. Sectionem ex mente CHESELDENI ſurſum nimis continuando, diſcinditur pudenda arteria externa, quæ angulum, quem coeuntes accelerator & erector efficiunt, traiiciens, ad corpora penis ner-

nervoſa amandatur; modo memoratæ arteriæ ramus, qui in urethra ſpargitur, ſimul reſecatur. Denique & hæmorrhagia facile hic eſt metuenda, quæ a parte in proſtata diſſeminati rami arterioſi læſi provenire poteſt.

Tandem *commoda*, quæ ex hac methodo redundant, ſunt fere eadem, quæ lateralem apparatum commendant, ideoque ex præcedentibus repeti poſſunt. Si quis magis erudiri cupit de hac methodo, adeat Iac. DOVGLASII *hiſtoriam lateralis operationis*, eiusque libellum anglico ſermone typis exaratum, cui titulus *appendix* ad hiſtoriam lateralis operationis; vel etiam Præſidis brevi prodituram chirurgiam latinam, ubi hac de re ſatis prolixe eſt diſputatum.

Poſſem equidem hanc maiorem anatomes in chirurgia quam in Medicina neceſſitatem facile quoque oſtendere ac evincere ex diverſis methodis extrahendi & *ſecandi calculos in fœminis*, itemque ex modo ſuccurrendi mulieribus *in partu difficili*, in ſitu fœtus præter naturam; imo & quam maxime etiam in exſectione fœtus ex utero matris adhuc viventis, ſive *ſectione vulgo cæſarea dicta*, de qua tam eleganter ROSSETVS, imo & D. Præſes in mox proditura chirurgia ſua latina ſcripſerunt; ubi anatome longe magis Chirurgo quam Medico eſt neceſſaria; verum ne caput hoc atque ſimul mea hæc diſſertatio in nimiam molem excreſcant, ea ſtudio hic prætermitto, & ad cetera, de quibus me acturum eſſe, ſupra promiſi, iam tranſeo.

§. V.

Quæ in ANO fiunt FISTVLÆ, eas, quia ex difficillimis ſunt, propriam quoque mereri conſiderationem iudicavi, dum æque multa ſunt ex anatomicis haurienda, quorum cognitio ad tuto his vitiis medendum viam pandit expeditam atque facilem. Quodſi ergo paullo profundiores aut tortuoſæ ſunt atque multiplices, intus ferentes, vel inteſtinum rectum afficientes, ſcito, maius in ſcalpello quam medicamentis præſidium eſſe; adeoque & anatomicam partium vicinarum haud levem deſiderare ſcientiam, ſi feliciter illas ſanare velimus. Earum vero una præ altera plus vel minus agenti faceſſit negotii. Communiter in *ſimplices* & *complicatas*, *perfectas* & *imperfectas*, *externas* & *internas* dividi ſolent, ſicuti videri poſſunt hæ diſtinctiones in D. Præſidis Chirurgia, & GARENGEOTI operationibus chirurgicis, alia aliam ſibi vindicante denominationem, pro diſcrepante eius natura. Varii atque multiplices habentur modi atque artificia chirurgica huic vitio ſcalpello occurrendi, quæ apud auctores, quos ſupra poſui, elegantiſſime de iis præcipientes extant.

Ante vero, quam ad ſcalpelli curationem veniendum eſt, demiſſo caute ſpecillo rivuli eius, ſi qui ſunt alii, quantum datum eſt, ſunt curate explorandi, quanti ſcilicet ſint, & quo tendant; hoc enim ad prognoſin iuſtam bonamque curationem multum facit. Tendente enim fiſtula inteſtinum verſus, chirurgus primo ſpecillum rite temperare ſciat, immiſſo prius in anum indice, ne lædat integrum, nec novos agat cuniculos. Notentur quoque hac in actione chirurgica,

gica, vaſa hypogaſtrica & cumprimis ramus ille meſentericæ arteriæ inferioris tertius, *hæmorrhoidalis internæ* nomine inſignitus, ea parte inteſtini recti, quæ ſacrum os reſpicit, fere ad perpendiculum, in ſitu ſcilicet hominis erecto, deſcendens. Parem vero non merentur attentionem *vaſa hæmorrhoidalia exteriora*, in ſphincteribus ani diſtributa; ob nullam enim aliam rationem auctores a ſectione paulo profundioris fiſtulæ, ad cuius fines digito ano immiſſo pertingere non poſſumus, abſtinendum imperant, quam propter maiorum illorum vaſorum iure metuendam eamque lethiferam læſionem. Nonnullæ harum fiſtularum ad *veſicam vergunt*, ideoque connexio huius & inteſtini recti probe ſit perſpecta, ne eam temere ſcalpello lædamus. Quorundam vero vanus eſt metus, *inciſis ani ſphincteribus*, ſtercoris involuntariam infeſtaturam ſanandos excretionem; ſed uſus ſatis oſtendit, id, iis alias rite conſtitutis, haud evenire, imo bis terve, ſi opus, ſine noxa diſcindi poſſe, omnibus compertum eſt peritis. Neque minus partium viva imago modum ſubminiſtrat, *quo artificio ſcilicet ſanguinis a paulo maiore vaſe diſciſſo oriundum profluvium* ſit cohibendum, quorſumve compreſſio vaſis læſi ſit dirigenda, ſi ligaturæ non eſt locus. Atque ex his rurſus manifeſtum eſſe opinor, magis Chirurgi intereſſe, magnum habere in re anatomica uſum, quam Medici.

CAPVT SECVNDVM
SISTENS
IN ARTVBVS OBVENIENTES ACTIONES CHIRVRGICAS.

VBI

SIMVL SVPPEDITATVR EARVM PARTIVM NOTITIA, QVAS SCIRE CHIRVRGI MVLTVM INTEREST ARTVVM VITIIS MEDELAM ALLATVRI.

SYNOPSIS.

§. I. *In venæſectione.*
§. II. *In aneuryſmatis & veri & ſpurii medela.*
§. III. *In panaritii, nec non abſceſſuum ſub aponeuroſi palmari latitantium curatione*
§. IV. *In luxatis & fractis oſſibus artuum medendi ratione;*
§. V. *In abſcindendis emortuis vel alia ratione vitiatis partibus, quarum partium cognitio curantem maxime ſecundet, evincitur.*

§. I.

VEnæ ſectionem, vulgare iſtud antiquiſſimumque ac vere heroicum remedium, tot infirmitatibus apprime quadrans, adminiſtrare noſtris temporibus tyrones Chirurgi temerario interdum auſu, quamvis felici ſæpe ſatis cum eventu, haud erubeſcunt. Vulgi quidem eſt opinatio, hanc omnium actionum chirurgicarum eſſe facillimam; & ſi fatendum, quod res eſt, in uno alterove homine nihil prorſus deſiderat dexteritatis; in aliis plus faceſſere eam operæ, uſus oſtendit. Verum quam facilis atque expedita hæc in anatomia rudibus videtur actio, eam ſem-

ſemper forte pro tali reputaſſent, niſi tot funeſta, a ſiniſtre ipſa adminiſtrata, exempla aliud credere illos monuiſſent; ita ut mox *a tendinis, nervi* & *aponeuroſis punctura* graviſſima illata viderint ſymptomata; mox ab arteria proſus ſauciata, vel eius tantum tunicæ exterioris inciſione, *aneuryſmata* pro rerum varietate diverſa reportantia nomina, propullularint, quin & ipſarum partium iacturam fecerint ſanandi, quo vitam redimerent, imo quandoque ipſam cum morte commutarint. Quæ ſat gravia mala, quo præcavere diſcat Chirurgus, crebriore diſſectione partium ſtructuram, quibus ſcalpellum, quod vulgo appellare ſolent *lanceolam*, ſive quæ alia aliis arrident ferramenta, pro ſanguine mittendo, admovemus, familiarem ſibi reddat. In brachio quippe tres utplurimum, ligatura cumprimis iniecta, ſatis conſpicui ſunt rami venoſi, huic actioni plus vel minus opportuni, *cephalica* primus, *mediana* ſecundus, *baſilica* tertius vena dicitur. Horum ramorum unus vel alter inciſus eandem quidem, quoad effectum medicum, ſpondent utilitatem; idem tamen deinde interdum redundante periculo non ſtatuas. Baſilicæ quippe arteria illamque comitans nervus, medianæ bicipitis tendo atque aponeuroſis eius, cephalicæ itidem huius musculi aponeuroſis ſubſtrata videntur, malorum, quæ ſupra poſui, ſcaturigines. Hic ulterius monebo in incidenda mediana aponeuroſin potius bicipitis, quam eius tendinem lædi poſſe. Atque hæc in venæ ſectione in brachio inſtituenda ſcitu obſervatuque ſumme utilia eſſe chirurgique hæc ſcire magis intereſſe, quam medici, per ſe patere arbitror.

§. II.

§. II.

A *ſiniſtre peracta venæ ſectione tumorem interdum arteriæ tolli*, ab eius exterioris tunicæ læſione oriundum, reliquis ſcilicet impulſui ſanguinis arterioſi elaſtici admodum cedentibus, ſupra poſui; quem tumorem *Aneuryſma verum*, compreſſioni appoſite adornatæ interdum obſequioſum, vocant ſcriptores Chirurgici. Longe alia eſt *aneuryſmatis ſpurii ratio*, ubi omnibus, quotquot ſunt, arteriæ membranis inciſis, magna vi latex ſanguineus evibratur. Chirurgus anatomes ignarus, meticuloſus præſertim, ex eiusmodi diſcrimine ſe ſatis expedire neſciens, *iuſto citius inciſionem deligando* huius vitii *interdum auctor exiſtit*, quod largiori iuſto ſanguinis miſſione ad animi deliquium usque protrahenda, quin & apta dein deligatione amoliri potuiſſet. Neglectis itaque hiſce auxiliis, non poteſt aliter fieri, quin ſanguis, qua porta data, elabatur, membranam musculorum communem inter tegumentaque communia ſerpens cum tanto interdum exterius conſpicuo livore atque nigredine, quæ necroſin minantur, certoque inducerent, niſi prudente operatione Chirurgus ſuccurreret, ſanguinique ex alveo elapſo viam panderet. At qua, quæſo! felicitate in hocce negotio verſabitur, niſi tractum atque iter arteriæ brachialis rite noverit; qua fiducia hancce actionem ſuſcipiet? *ignorans, a parte arteriæ brachialis vel exteriore vel poſteriore, in medio fere humero, ſæpe ſat inſignes oriri ramos, cum radiæa non ſolum & cubitæa, ſed & interoſſea mutuis* nexibus ſive anaſtomoſibus, ut loqui nonnulli amant, *illigatos*,

ſatis

ſatis ſecum vehentes liquoris purpurei, quantum pro nutritione præſtanda ſufficit. Tot, eheu! non fuisſent mutilati, qui ipſum arteriæ brachialis truncum habebant ſauciatum, ſi chirurgi ſtructuræ aut conſtitutionis huius arteriæ gnari auſi fuiſſent, profundiore plaga ſcalpello inflicta ipſam repertam arteriam ſupra vulnus lino vincire, adeoque ſanguinis torrentem ſiſtere ac cohibere, nullis fere aliis auxiliis ad id inventis obſequioſum. Nam ferramentorum iſtorum ingenioſe ſatis excogitatorum ad ſupprimendum ſanguinem, *vulgo tourniquets*, diuturniorem uſum diſſuadebat necroſis inſtantis metus, ob eorum nimis pertinacem uſum ſæpiſſime inductam. Plerisque vero hominibus beneficium iſtud ex ramis collateralibus redundans commune eſſe non ſolum ſolet; ſed & aliud in aliis longe prius ſuperans adinvenire anatomicis licuit, *truncum* ſcilicet *arteriæ brachialis geminum*, quem D. Præſidi quam ſæpiſſime & mihi quoque aliquoties adinvenire licuit. Quæ itaque adhuc plurium Chirurgorum in anatome arteriarum non ſatis exercitatorum eſt opinatio, *ac ſi in vulneribus arteriæ brachialis trunco inflictis nonniſi in abſcindendo membro ſpes ſuperſit*, eam ex adductis ſatis exploſam arbitror.

§. III.

Neglecta iſtius vitii cauſſarum ſcrupuloſiori indagine, quod PARONYCHIAM ſeu PANARITIVM vocant auctores; quamvis a ſanguinis ſtaſi, a quacunque cauſſa vel interna vel externa hæc oriatur, proficiſci, veriſimile admodum ſit; aliis quoque lympham vitiatam accuſantibus: id unum certum eſt,

variam huius mali diris interdum ſtipati doloribus, *in apice maxime digiti affecti ſeſe manifeſtantibus, eſſe ſedem*, adeo, ut mox *tegumenta inter & pinguedinem, mox in ipſa tendinum vagina, quin & perioſtium inter atque ipſum os, imo & inter unguem & partes his ſubiectas cauſam eius hærere videas.* Pro differente autem eius ſede, diverſis quoque incedit *ſymptomatibus*, quæ rite expenſa latibulum non vitii ſolum produnt, ſed ad genuiam quoque ei occurrendi rationem viam pandunt. Quam vero ut rite aggrediatur, ex anatomia didicerit, primo *quo in loco tendo muſculi profundi, flexoris digitorum*, extremo eorum oſſiculo ſit inſertus, ac deinde quam ſapienti artificio rerum opifex ſummus *tendines & ſublimi & profundi muſculorum in vagina valida* mere tendinea occultaverit, quo quam minime multis iisque externis obnoxii eſſent iniuriis; neque minus conſiderationem aliquam deſiderant *ligamenta* iſta *transverſa* & *annularia*, iuxta carpum poſita: iis quippe ſapientiſſime cautum eſt, ne iſtorum muſculorum in actione eaque violenta conſtitutorum, tendines e ſede ſua dimoveantur; id quod certe contingeret, ſi modo dictis haud proſpectum fuiſſet ligamentis, *anſulas* vocat Cel. LANCISIVS a), easque tyronibus Chirurgicis inculcandas admodum præcipit; quippe id unum voluiſſe, videtur ſuis tabulis EVSTACHIVS, cum eas pararet, ut Chirurgi inde neceſſariam anatomiæ caperent notitiam. Qui ſubinde ſub aponeuroſi palmari, quam falſo muſculi eius nominis expanſionem aponeuroticam crediderunt, occultantur abſceſſus, latius quo-

a) in tabulis anatomicis ſplendidis ſane famoſi EVSTACHII.

quoque ſerpentes, ab panaritio aliisque cauſis ſuſcitati; quo pacto mederi iis rite poterit Chirurgus in anatomia hoſpes? tantum enim abeſt, ut hoc præſtare poſſit, quin potius variorum malorum auctor exiſtat. Quæ enim ſub eiusmodi parte aponeurotica, qualis v. c. aponeuroſis palmaris exiſtit, hæret ſanies, ea quam citiſſime ſane emolienda; vitiatur etenim magis magisque, populaturque potius interiores partes, oſſaque exedit, quam ut partem eiusmodi aponeuroticam perrumpendo per exteriores exitum affectet partes.

§. IV.

Tot iniurias corpori noſtro exterius accidere, inter alia OSSA FISSA, FRACTA, aut LOCO MOTA ſatis nobis perſuadent. Igitur nunc paucis exponendum erit, qualem ſcientiam anatomicam hæc omnia & ſingula in chirurgo curaturo potiſſimum requirant. Sola eaque perfecta compaginati *oſſium humani corporis ſyſtematis* una cum reliquis in eo perpendendis cognitio hic omne ferre punctum, facile ſtatuero; non enim ſine ratione, elegantiſſimus auctor CELSVS de curatione oſſium & loco motorum & fractorum expoſiturus, prius poſitum & figuram totius humani corporis oſſium tradit: luculentiſſimo teſtimonio, & veteres iam perſpexiſſe, hæc vitia curaturos ſceleti, quod vocant, cognitione eſſe initiandos. Verum longe ſcrupuloſius ac CELSVS habet, omnia, quæ circa ſingula oſſa occurrunt obſervanda, erunt trutinanda; ante omnia autem articulorum mechaniſmum altius repetat, rite inquirens in ſingulorum

 ſin-

ſingularem ſtructuram atque ordinem, quæque adhibita fuerint adminicula ad quemlibet efformandum, v.g. cartilagines, oſſium eminentiæ atque cavitates earumque figuram & poſitum noſcat; quod autem caput rei eſt, ſcrupuloſiori indagine proſequatur omnia & ſingula, quotquot ſunt ligamenta, nervos vocat CELSVS, articulis, quo firmentur & comprehendantur, appoſita. Rite eius adeo menti obverſante omnium articulorum mechaniſmo, ea, qua paulo ante poſui, ratione, ſtatim ipſi in promtu erit, an omnibus an certis tantum modis hic vel ille articulus excidere poſſit, iudicare; *nam omnes articulos non omnibus excidere poſſe modis*, multa proferre poſſem exempla, unico ero contentus: ita humerus ſurſum prorumpere non poteſt, niſi fracto acromio. Non æque aliorum, quæ corpori accidere ſolent vitiorum, facilia ſunt ſigna diagnoſtica, ac oſſium vel fractorum vel e ſede motorum: nam ſemper *ea parte, qua prorupuit, tumor eſt, eaque ſinus, a qua receſſit ipſum.* Multum præterea intereſt, ſcire, *quibus musculis* articuli contineantur, valentiores ſint nec ne? inde enim æſtimandum eſt robur, quod Chirurgus iis in ſedem reponendis impendere debet; expeditius adeo hac in re verſabitur, quam ſi antea toties repetita vice quod excidit os, in ſedem compellere fruſtra tentaverit. Mira interdum audebit atque inſolita in anatomia probe exercitatus Chirurgus; quem enim in articulis paulo ante e ſede ſua promotis, vel ipſo oſſe vel in diaphiſi vel in articuli vicinia fracto, adeoque deligando fracturæ quadrantibus faſciis, (quæ *deligationis artificia* probe calleat Chirurgus, quod non parum ex

hac

hac re exiſtimationi eius accedit: quid quod fracta oſſa iterum commiſſa, ſolis faſciis appoſite obvolutis vetuſtæ ſedi iterum adſueſcunt, ſimul impedientibus, *quo minus nimius ſuperincreſcat callus*, membrumque adeo indecorum fiat) ſenſim ſenſimque accumulari liquorem obſervamus, *Synoviam* vocant auctores, a glandulis macilaginoſis, a Cloptono HAVERO adinventis, ſecretum, pro humectandis, propter perennem mutuum attritum, articulis, in ſolidam procedente tempore, niſi cito ſuccurratur, ſeſe cogentem maſſam, planeque liberum articuli uſum prohibentem, continuitatem, ut ita dicam, inducentem, eum ſane, ſi nullus diſcuſſionis, remediis præſertim mercurialibus obtinendæ ſpei locus relictus eſt, *punctura ligamenti capſularis*, ut vocant, quibus articulorum plurimi muniti ſunt, emittere non dubitabit, quo ad antiquos membrum reducat uſus; quod actionis chirurgicæ genus PETITVS libro de morbis oſſium, cap. de anchyloſi p. 397. (*traité de maladies des os*) propoſuit, atque acu triangulari cuſpide, vulgo *troiscar*, vel lanceola perficiendum ſuaſit, cuius rei periculum faciundum ego exiſtimo. Vitium iſtud, *anchyloſis* nomine in ſcholis venit, quod ſupra propoſui, interdum ligamentis a cauſa quadam externa violenta infirmatis ſupervenire ſolet: Galli vocant has ligamentis illatas iniurias, *entorſes*. Ex tot machinamentorum generibus pro articulis, qui exciderunt, in ſedem repellendis excogitatis curioſius, non niſi uſu & ratione comprobata in uſum vocabit; ſi talem, qualem in prioribus deſidero, articulorum omnium habuerit ideam; nec hæſitabit in encheireſi-

bus articulo erupto quadrantibus adinveniendis; cum ſola hic partium ſtructura viam, qua incedendum, ſternat. Singulorum hic *articulorum ſtructuram anatomicam* repetere, finis huic mox imponendus diſſertationi vetat, maxime cum iam in maiorem opinione molem excreverit. Ceteroquin qui de artificiis in fractis oſſibus committendis, nec non e ſede promotis articulis iterum reponendis, una cum deligationis in ſingulis adhibendis modis ſolide erudiri cupit, conſulat vel chirurgiam D. Præſidis, vel elegantiſſime conſcriptum tractatum Chirurgi Galli PETITI modo laudatum, quo in univerſum hactenus ſcripta hac de re non habemus præſtantiora.

§. V.

Multæ ſubeſſe poſſunt cauſæ, quæ *cubitum vel brachium, femur vel tibiam præcidi ſollicitant*; nam oſſibus admodum vitiatis, vel colliſis, adeo, ut committi nequeant, vel ſi membrum plane eſt emortuum, quo cætera corporis pars tuta ſit atque putredo latius ſerpere haud poſſit, in unico, ſed miſero auxilio, nimirum in abſcindendo membro, ſpes ſolum ſupereſt. Arduum quidem eſt negotium, in quo nonniſi animo intrepidus, immiſericors, atque magnum in re anatomica uſum habens, rite verſari poterit. Cardo enim totius ſontici huius negotii in eo vertitur, quo largiſſimam ſanguinis profuſionem, cum abſciſſione membrorum ſemper, niſi peculiaribus artificiis id prohibeatur, coniunctam, ſupprimere atque cohibere valeamus. *Antiquiſſimis temporibus* ſummo cum periculo hanc actionem fuiſſe ſuſceptam, plurimis in ipſo opere

ſan-

ſanguinis profuſione mortuis, apud vetuſtos relatum legimus auctores, HIPPOCRATEM quippe atque CELSVM, ut recentiores, qui ante ſuperius ſeculum vixerunt, nunc taceam. Eſt ſane, cur ætatem noſtram feliciorem prædicemus, ob tot curioſius adinventa ferramenta, quibus ſaltem, ne fatalis in ipſa actione cataſtrophe contingat, providentiſſime cavetur. Quibus armis quamvis Chirurgus, in anatomia tamen rudis, inſtructus ſit, iis dextre uti haud poterit. Quo enim in loco pro ſanguine cohibendo laqueamenta iſta, torcular ſive machinam tortilem intelligo, Gallis vulgo *tourniquet*, ſint applicanda, neſciet, niſi poſitum arteriæ rite noverit. Abſciſſo membro, haud appoſite arterias, nam plures ſæpe cum in cubito, tum in humero ſunt, lino vincire aut alias apte eas comprimere ac deligare ſciet; in quibus vero omnibus præſtandis anatomiæ peritus felicius longe verſabitur. Quæ in antecedentibus de artubus ſuperioribus ſcripta ſunt, eadem de iis, quæ *in inferioribus artubus* obveniunt actiones chirurgicæ, ſano tamen ſenſu, accipienda ſunt. In fine proœmii, ubi totius adumbravi diſſertationis ideam, ſpoponderam quidem, me de inferiorum quoque artuum acturum actionibus chirurgicis; ſed quæ opinione citius iuſto amplior enata eſt diſſertatio, id præſtare vetuit atque prohibuit. Interea tamen, me ſatis maiorem anatomes in chirurgia, quam in Medicina neceſſitatem hic eviciſſe arbitror; atque hoc ſolum coronidis loco monendum duxi, quod anatomia eaque ſubtilior, quibusdam, imo quamplurimis promptuarii loco ſit, unde pro novis ſemper ingenii luxuriantis fœtibus edendis

prima

prima ducunt ſtamina; anatomes vero ſtudii finem primarium eo collineare oportere opinor, quo inde neceſſariam nobis comparemus notitiam, quæ in praxi & Medica & Chirurgica manifeſtam ſpondet utilitatem, quæque in actionibus præſertim Chirurgicis ad oculum, ut aiunt, demonſtrari poteſt, normam adeo partium tuto incidendarum ac lædendarum, earumque, quæ ſine gravi noxa offendi nequeunt, ſuppeditando.

DEO SIT LAVS ET GLORIA.

ERRATA EXTANTIORA.

QVÆ

PRÆTER OPINIONEM IRREPSERVNT.

Pag. 4. lin. 8. æſtimantes leg. æſtimantibus. p. 6. l. 31. imitetur leg. imitentur.. p. 11. l. 10. anteriotomiam leg. arteriotomiam. p. 14. l. 12. lacymalis leg. lacrymalis. eadem pag. l. 28. obſtructæ leg. obſtructo. p. 27. l. 3. concedens, leg. concedente. p. 28. l. 23. emollendi leg. emolliendi. p. 33. in nota b. l. 12. mortiferas leg. mortifera. p. 40. l. 20. Medici leg. Chirurgi.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE HYDROPE UTERI,

Quam

COELESTI ARCHIATRO DUCE ATQUE AUSPICE,

Juſſu atque Autoritate

GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

in Perantiqua EBERHARDINA,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

DN. ELIA CAMERARIO,

Med. Doct. Prof. Ord. Archiatro,

& Conſil. Würtemberg.

Domino Patrono ſuo pie ſuſpiciendo,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores,

&

PRIVILEGIA DOCTORALIA

legitime capeſſendi,

Ad diem Septembr. Anno MDCCXXIX.

Solenni Eruditorum Examini ſubjicit

Auct. & Reſp.

JOHANNES ERHARDUS WAGNER,

Philoſophiæ Magiſter, Vayhingenſis.

TUBINGÆ, Typis JOSEPHI SIGMUNDI.

17

Σ. Θ.

Deploranda ſane (& iſtæ quidem, quod *Pechlinus* probe annotavit, ob primævum vitium impoſitæ ſunt ipſi diræ) ſexus ſequioris eſt conditio, quod non tales ſolum, quales ſexus noſter, ſed & plures peculiares, & in ſexum maſculinum plane non cadentes, cogatur ſuſtinere morbos. Fons ille triſtis, ex quo ſcaturit hæc malorum & morborum Ilias, eſt uterus, uterus inquam, qui animal atrociſſimum, non Veterum quidem ſenſu, ſed ob ſævitiam, quam exercet in miſellas mulierculas, merito audit. „Sub duriſſima „ſane fatorum lege naſci videntur fœmellæ (Verba ſunt „exquiſitiſſima *Gualteri Charletoni*, in inquiſ. med. phyſ. c. 1.) „pereunt ſæpe, niſi pariant: ſæpius autem pariendo pereunt, animas ſimul ac fœtus enitentes, vitamque amittentes, cum dant; ſive perfruantur virorum conſortio, ſive eo careant in pari verſantur diſcrimine, nec „paucioribus malis objiciuntur, quæ ſemper ſteriles manent, quam quæ liberorum multitudine abundant. Sapienter itaque magnus Medicinæ Parens *Hippocrates*, libr. de locis in homine: *αἱ ὑστέραι*, inquit, *πάντων τῶν νουσημάτων αἰτίαι*, uteri omnium morborum (muliebrium) ſunt

cauſæ. In tali morborum ſerie, quibus venuſtior quidem, ſed vel ipſo hoc nomine infelicior ſexus ſequior peculiariter ſolet infeſtari, non infimum obtinet locum uteri hydrops, rariſſimus ille affectus, ideoque etiam, quod quidem ſcio, à plerisque Autoribus prætermiſſus, aut ſaltem obiter tractatus. Id ipſum me movit, ut tenellas meas experturus vires, ſpecimenque meorum in arte ſaluberrima profectuum exhibiturus publicum, diſſertationis inauguralis loco ex pluribus aliis hoc mihi eligerem Thema, non quaſi tantum mihi aſſumerem, ut hoc meo tentamine materiæ iſti ſatisfactum eſſe mihi perſuaderem; ſed me ſaltem largiſſimam Dnis Opponentibus materiam ſuppeditaturum, mihi polliceor. Faxit DEUS, ut omnia vergant in ſanctiſſimi ſui Nominis gloriam, & fauſtos futuræ praxeos progreſſus.

Cap. I.

Exhibens tum poſſibilitatem, tum Realitatem atq; exiſtentiam hydropis uteri.

§. I.

DAri ſexcentas uteri affectiones, dari inter iſtas quoque uteri hydropem, experientia triſti hac in re magiſtra ſatis edoctæ ſunt mulierculæ, & ſæpius naturam accuſantes novercam querelis produnt continuis haſce ſuas calamitates, ut diſputatione hæc res amplius non egeret. Sed cum rarius incidat uteri hydrops, & alios ſæpe mentiatur affectus, quod dubium reddere aliquatenus poſſet hoc malum, licebit majoris luminis gratia nonnulla pro ipſius poſſibilitate æque, ac exiſtentia in medium proferre argumenta â priori ſcil. atque poſteriori deſumta. A priori pro ipſius poſſibilitate militat potiſſimum uteri ipſius fabrica atque ſtructura, qua perſpecta haud difficile erit judicare, poſſe uterum quandoque ita affici, ut hydrops inde oriatur. Uterus in hypogaſtrio, in ampla ſc. abdominis cavitate, quæ

pelvim

lvim conſtituit, veſicam inter atque inteſtinum rectum tanquam inter
o pulvinaria, ne oſſium duritie lædatur embryo, eſt ſitus inſigni va-
rum varii generis gaudens apparatu. Arteriæ partim â ſpermaticis,
rtim ab hypogaſtricis oriundæ varios hinc inde emittunt ramulos:
narumque itidem partim a ſpermaticis, partim ab hypogaſtricis eſt
tus. Lymphæductibus porrò ſuis gaudere uterum, qui ſubſtantiam
us ſparſim perreptant, atque ſanguini per venas uterinas refluo diluen-
inſerviunt, negari haud poteſt. Quin uteri fibrarum & vaſculo-
m reticulari ſubſtantiæ paſſim interſeruntur glandulæ quædam exiliſ-
næ a Malpyhgio deſcriptæ, quorum officium eſt, tenuiorem & ab u-
ri nutritione ſuperfluam ſucci nutritii partem ſecernere, moxque in
mphæductuum amandare canaliculos, ut in ſanguinem transferantur,
quibus vid. *Gualterus Charletonus* in Inquis. Phyſ. med. cap. 5. Sub-
ntia uteri ipſa fibroſa eſt & muſculoſa ac duplici membrana, altera in-
rna, altera externa craſſiore â peritonæo oriunda, eſt obtecta, quæ
nnia clarius edocebit αὐτοψία, cui licebit crebrius adire ſectiones
atomicas. Fibrarum, quibus intertexitur, beneficio munere fungi-
r ſuo uterus, & ita comparatus eſt, ut & ipſe in ampliorem molem
tendi, & intertexta eidem vaſa extenſioni ejus poſſint obſequi. Vid.
rgeri. phyſiol. L. II. c. 1.

§. II.

His præmiſſis quæ ex penu deſumta ſunt anatomica, quis non
rſpiciet, uterum quoque, uti alias corporis partes, hydropi eſſe ob-
xium? Hinc concludere licet: ubi omnia ad hydropem requiſita
æſto ſunt, ibi revera generari poteſt hydrops: A. in utero. E.
ajor ſua radiat luce: minorem probat Anatomia; adſunt quippe va-
ſanguifera, & potiſſimum venæ, quæ preſſionem frequentem hydro-
s cauſam, poſſunt pati: adſunt vaſa Lymphatica, in quibus cauſa
dropis materialis continetur, dum illæ rumpuntur: adſunt glandulæ,
ibus obſtructis etiam obſtruuntur lymphatica, & tandem rumpun-
r: adeſt receptivitas ſubjecti, quod eſt uterus, qui fibrarum beneficio
atationem iſtam poteſt admittere. Hoc in omnibus fere corporis
rtibus obtinet, ubi hæc adſunt requiſita ita, ut nunc in cavitate ab-
minis, nunc inter integumenta & peritonæi duplicaturam, nunc in
ricardio, nunc in pectore, nunc in capite &c. oriatur hydrops, quid-

ni & in utero ? quid quod partes ipſæ utero annexæ etiam huic malo ſint obnoxiæ, unde hydrops ovarii, & tubæ Fallopianæ, unde ingens ille & fere prodigioſus in Cornubus uteri hydrops, qualem deſcripſit *Tulpius* in obſ. Med. L. IV. c. 44.

§. III.

A poſteriori exiſtentiam hydropis uteri exempla probant ab Autoribus hinc inde allegata muliercularum hydrope uteri affectarum, quas revera tales fuiſſe plurimam partem ſectum poſt mortem oſtendit cadaver. Sic *Sennertus* in Med. pract. L. IV. Sect. II. c. II. nonnullorum meminit Autorum, qui annotarunt ejusmodi affectus e. g. *Rhaſis*, qui refert, fœminam quandam, quæ putabat ſe eſſe gravidam, cecidiſſe & emiſiſſe per naturalia quinque cotylas aquæ croceæ, & convaluiſſe: item *Dodonæi*, qui etiam tale quid annotavit, addita notabili hac circumſtantia, fœminæ illi poſt aquæ effluxum ubera lacte repleta fuiſſe, ac ſi peperiſſet fœtum. Quin lectu non minus ac conſideratu digniſſimum eſt exemplum â *Fernelio* annotatum in Lib. VI. de partium morb. & Symptom. c. 15. Mulier quædam, ſcribit, hydrope uterino correpta, quoties adpetebat menſtrua purgatio, omnem aquarum colluviem ex utero per cervicem profundebat, pelvesque ſex aut octo implebat aqua citrina ferventiſſima, dum venter totus ſubſideret. Collecta proximo menſe par colluvies ſtato dein tempore profluebat: mox dein menſes inſequebantur ex naturæ præſcripto. Hæc tandem perſanata uterum geſtavit, peperitque fœtum bene vitalem. Sic exemplum hydropis uterini affert *Riedlinus*, in lin. med. A. 1697. menſ. Jan. obſ. XXIX. Neque verò etiam exempla hydropis uterini, quem ſectio detexit, deeſſe, teſtatur prælaudatus *Sennertus* l. c. qui allegat *Veſalium* ſcribentem, ſe diſſecuiſſe Auguſtæ Vindelicorum mulierem in cujus uteri cavitate ſeroſæ aquæ ſexaginta Auguſtanæ menſuræ, quarum ſingulæ tres capiant libras, fuerint repertæ: & *Marcellum* Donatum, qui itidem in fœmina diſſecta uterum aqua plenum invenit. Ut brevitatis cauſa plura taceam exempla, earum inpr. muliercularum, quibus hydrops uteri cum fœtu erat conjunctus, quod in propria uxore expertus eſt *Guilielmus Fabricius*, Teſt *Sennerto*, l. c.

§. IV.

Inter Autores, qui hujus hydropis faciunt mentionem, unicus

ſuffi

ſufficiat noſter *Hippocrates*, qui (lib. I. de morbis mulierum) diagnoſin ejus atque prognoſin conſtituit, & cujus verba e Græca in Latinam translata linguam ita ſonant: Si hydrops in uteris fiat, menſes pauciores fiunt & deteriores, & per longius tempus, & pauciores, quam oportet, aut paulo plures, & venter intumeſcit, & locus ſupra pectinem, & tibiæ, & lumbi: ubi vero multum temporis proceſſerit & in ventre habuerit (indigitat hic graviditatem huic junctam malo) corrumpit & ejicit, & aqua cum ipſo foetu effunditur & mulier plerumque moritur. Item. lib. II. de morb. mul. Si aqua interius, inquit, in utero fiat, menſes prodeunt arenoſi, & aquoſi, & non valde cruenti: intumeſcit & uterus, & venæ, & propinquiſſimæ partes. Ne vero juſto longior ſim in probanda affectus hujus poſſibilitate atque exiſtentia, ad ipſam jam definitionem & ætiologiam, quæ ſeqq. capp. deprehenduntur, ſum tranſiturus.

Cap. II.

Exhibens Ætiologiam.

§. I.

Quid ſit hydrops & quodnam ejus ſit ἔτυμον, vel primis ſaltem medicinæ elementis imbuti norunt tyrones: nec latet eos generalis diſtinctio in aſcitem, anaſarcam ſeu levcophlegmatiam & tympaniam. Præſens de Hydrope uteri diſſertatio illud tantummodo comprehendit hydropis genus, quod cum vero aſcite habet convenientiam, & oritur â lymphaticorum apertura, Lymphæque inde extravaſatione: quid verò de uteri inflatione ſit ſtatuendum, hujus loci non eſt disquirere. Nec ſermo eſt de illa intumeſcentia, ubi in aſcite uterus ſimul (ſicut & aliæ partes) intumeſcit; cum caſus ſupponat cauſam ad uterum determinatam, abundantiam ſc. lymphæ ſtagnentis ibi & extravaſatæ. Definitur ergo hic hydrops, quod ſit tumor p. n. aquoſus in cavitate uteri, vel & inter membranarum ejus interſtitia ab humoris ſeroſo-lymphatici extravaſatione contingens. Genus conſtituit tumor, ſive partis in omnem dimenſionem extenſio p. n. Differentia in eo conſiſtit, quod ſit tumor aquoſus, in contradiſtinctione ad alios tumores, ſc. inflammatorium ſcirrhoſum, tympaniticum, item ad tumo-

rem

rem gravidarum. Exprimitur quoque differentia ſpecifica poſitione ſubjecti, quod eſt cavitas uteri, quin & membranarum uteri interſtitia, inter quæ quandoque ejusmodi colligitur humor. Cauſa ergo proxima eſt extravaſatio humoris lymphatici, quæ contingere poteſt ab obſtructione vaſorum lymphaticorum, quin & eroſione (cauſis externis non excluſis) ac utramque inſequente eorum apertura, uti ex ſequentibus clarius patebit.

§. II.

Obſtructionis, indeque pendentis extravaſationis humoris ſeroſo-lymphatici cauſa peculiaris videtur inprimis eſſe preſſio venarum ſubſtantiæ uterinæ, quibus preſſis lymphæ intercipitur circulatio, & ſtagnatione ſemel inchoata, magis magisque ſerum â ſanguine, cui non liber per venas patet tranſitus & refluxus, ſegregatur, quo lymphatica ab humoris ſtagnatione, novique ſubinde ad fluxum magis diſtenduntur, donec vaſcula élatere debito deſtituta ob ſuam teneritudinem non amplius poſſint reſiſtere, quorum tenerrimam inpr. texturam, & lacerationem inde faciliorem annotavit quoque *Rivinus* (diſp. XXXI. de hydrope) unde ob collecti ſeri molem vaſcula teneriora rumpuntur, quibus diſruptis intra membranarum uteri interſtitia, quin ipſam ejus cavitatem profluit lympha, quæ cavitas cum clauſa ſit, accumulatur humor, qua cauſa lymphæ extravaſatæ perſeverante, neceſſe eſt tumorem ingraveſcere, & uterum in molem indies majorem increſcere cum intumeſcentia totius. Illuſtrari hoc poteſt decantatiſſimo illo experimento Loweri in cane, alioqui ſano, facto, qui ligata vena cava infra cor ſex horarum ſpatio tumorem partium inferiorum, hydropicum: & ligatis venis jugularibus partes ſupra ligaturam humore ſeroſo extumuiſſe, & hydrocephalum accidiſſe obſervavit: & ſi venæ jugularis ramus conſtringatur peculiaris, induci hydrophthalmiam docet B. D. D. *Mezgeri* diſp. de cordis Polypo. Hæcque omnia evidenti ſunt argumento, venarum ſanguiferarum conſtrictione non tantum impedimentum fieri ſanguinis circulo, ſed & lympham hinc ſtagnare, & in vaſis accumulari poſſe; nam lympha majori tum copia determinatur in vaſa lymphatica, quam ut poſſit immitti, & per ea transmitti, hinc rumpuntur, lymphamque effundunt.

§. III.

Accuſandæ etiam hic veniunt glandulæ, dum obſtructiones (quibus

aliâs

aliâs ob meatus intricatiſſimos , mæandros atque labyrinthos maxime ſunt opportunæ) patiuntur , quibus lymphatica glandulas perreptantia , & non raro in minimos in illis ramulos deſinentia , ſimul obſtrui neceſſe eſt , unde lymphæ intercipitur circulus , & humor, qui per vaſa lymphatica transmitti debet , ita tandem accumulatur , ut ob factam nimiam dilatationem tandem rumpantur vaſa hæc tenuiſſima , cum lymphæ extravaſatione. Quæ cauſa etiam obtinet in hydrope aſcite abdominis, ut glandulis meſenterii quacunque de cauſa obſtructis , vaſa lymphatica ab accumulatione lymphæ nimia rumpantur & tumor accidat aſciticus. Ejusmodi hydropem aſcitem â glandulis meſenterii obſtructis obſervare ante biennium licuit Baſileæ in puella ſex circiter annorum , quæ, manus huc dexterrimas commodante Excellent. D.D. MIEGIO, Anat. & Botan. P.P. Celeberrimo , poſt mortem cultro ſubjecta anatomico , inſigni antea aquarum copia per paracenteſin educta , conſpiciendas noſtris exhibuit oculis glandulas meſenterii obſtructas , & multo majores ſolito , atque ampliores. Sic ergo in hoc ſubjecto glandulæ meſenterii obſtructæ lymphæ per vaſa lymphatica, quæ glandulas haſce trajiciunt , adeò denegabant tranſitum , ut hæc vaſa tandem disrupta lympham ſuam effunderent. Quid inde obſtat , quo minus id quoque ab obſtructis glandulis uterinis queat contingere , ut intercludatur lymphæ per vaſcula tranſitus , quæ ob teneritudinem ſuam tandem rumpuntur.

§. IV.

Obſtructioni vaſorum lymphaticorum merito addimus quoque eorum eroſionem quacunque de cauſa contingentem , qua lacerantur & aperiuntur vaſa lymphatica , unde in poros atque cavitates prompte ſtillat ſerum , monente Celeberr. *Wedelio* in exerc. pathol. therap. ex. VI. c. 1. de tumoribus : nec non *Gualtero Charletono* in inquiſ. med. Phyſ. C. VIII. de rhevmatiſmo uterino : qui pariter eroſione vaſa lymphatica aperturam pati poſſe concedit , quam eroſionem vehementiori ſucci nutritii , cui (utpote ab uteri nutricatu ſuperfluo) in ſanguinem deferendo deſtinati ſint lymphæductus , adſcribit acrimoniæ. Eroſionis ejusmodi cauſa latere poteſt partim in ipſa lympha , vel per ſtagnationem & inſequentem lentorem atque ſpiſſeſcentiam , ad quam maxime eſt proclivis , acriore reddita , unde eroduntur vaſcula ; vel dum ſalibus acidis , acribus , ſalſis â ſanguine arterioſo ejusmodi vitiis ſcatente , ex quo hauriri ſolet, imprægnata eſt lympha : partim cauſa externa e. g. abſceſſus ſeu exulceratio , quæ corrodit hæc vaſa , peccare po-

 teſt.

teſt. Quibus ſi quis adjicere velit lympham illam uterinam, quæ Autore *Pechlino*, obſ. phyſ. med. L. l. obs. 21. tantæ quandoque acrimoniæ eſt ſalſæ, ut cauſticam induat naturam, non equidem contrariabor; ſiquidem hæc acrimonia iſti plerumque loco, uti dicit vernacula, in tantum evehi poteſt gradum, ut fibrarum carnearum, quin vaſorum ſolvat contextum.

§. V.

His ergo poſitis, non poſſumus non cum *Charletono* in eandem ire ſententiam, quod ſc. uteri hydrops originem ſuam trahat ab apertione vaſorum lymphaticorum, vel per obſtructionem eorundem, vel eroſionem facta. Huic de obſtructione lymphaticorum, indeque ruptione â venarum preſſione facta ſententiæ lucem fœneratur, atque fidem Excell. D. D. ZELLER, Patronus pie ſuſpiciendus, in diſſ. de Vaſor. lymph. adminiſtr. c. 3. concl. 7. & 8. Quam cauſam obſtructionis lymphaticorum â quacunque cauſa, & extravaſatæ inde lymphæ etiam admittit *Ettmüllerus*. Quomodo autem obſtructionem in glandulis conglobatis, & humoris infantum ſtrictiorem inſequatur vaſorum lymphaticorum eas perreptantium obſtructio, & tandem ruptio cum lymphæ extravaſatione, videre licet ex Excell. D.D. *ZELLERI* diſs. de morbis & ſtrict. gland. p. n. natis, c. 2. obs. 4. Confirmat id ipſum *Gualterus Charletonus* in inquis. Med. Phys. c. VIII. de uteri Rhevmatiſmo. Quid eroſio in hoc caſu valeat, ex prioribus ſatis luculenter apparet. Egregiam interim laudem deberi primis vaſorum lymphaticorum Inventoribus, qui maximam contemplationi hydropis pathologicæ affuderunt lucem, nemo non agnoſcet: inter quos eminet primus Franciſcus de le Bœſylvius, qui circa cyſtidem felleam quædam detexit vaſa lymphatica. Poſt eum inclaruerunt Claus Rudbekius, Suecus, & Bartholinus, Danus, donec ſub Anatomico oculatiſſimo, Antonio Nuckio ad ſummum aſcendit faſtigium hæc de lymphaticis doctrina. Unde non opus erit cum Veteribus, quos latuit hæc doctrina, abſurdas admittere cauſas: nec cum Helmontio ad Archeum refugere furioſum.

§. VI.

Antecedens cauſa, quam cum aliis communem habet hic hydrops, eſſe poteſt intemperies ſanguinis cachectica, ubi vitalis ille latex plus

ſatis

ſatis eſt ſeroſus, deficiente parte ejus florida, purpurea, & abundante aquoſa, ſimulque viſcida exiſtente, & hinc tardius per vaſa lymphatica circulante, unde fibræ organorum & vaſcula minus ſunt elaſtica; quæ atonia cum illo vitio humorali ſi contingat peculiariter in vaſis uterinis, talem conſtituit cauſam antecedentem, quæ tandem inferre poteſt hydropem. Sed ſunt cauſæ propiores, uterum præcipue attingentes, quæ obſtructionem atque aperturam lymphaticorum efficere valent, ad quas referri poteſt omnis vis utero illata, maxime in ſtatu graviditatis & puerperii, qua compreſſio quædam venarum poteſt contingere. Sic in ſtatu graviditatis peccare poſſunt 1. molæ, quæ quidem, quamdiu in utero ſubſiſtunt, nihil adferunt periculi, ſed ubi moliuntur exitum, & conatus accedunt excretorii, protractis ſic doloribus & conatibus excernendi, uterus ſpaſmodice afficitur, & vaſa nimis premuntur, unde venæ uterinæ ſimul patiuntur difficultatem in ſanguine transmittendo, quæ vis compreſſionis efficere poteſt tandem hydropem, ſive quod ſimul premantur lymphatica, adeoque lymphæ intercipiatur curſus: ſive quod impedito ſanguinis venoſi fluxu abundantius lymphæ fiat accumulatio in vaſis, hinc eorum disruptio & extravaſatio. 2. Abortus, ubi uterus intempeſtive ſpasmodicis afficitur moliminibus, unde compreſſio non exigiua vaſorum uterinorum poteſt accidere.

§. VII.

In ſtatu puerperii ſymbolum huc ſuum confert præcipue partus difficilis, qui fit vel vitio matris, vel vitio infantis, id quod accurate annotavit clar. D.D. *Bœrhaave*, in aphoriſmis ſuis. Vitio matris contingit partus difficilis, vel ubi deficiunt ad expellendum vires, & natura (quæ obſtetricios labores fere ſola abſolvit, & quæ, monente *Pechlino*, obs. Phys. med. c. 1. obs, 28. ubi anceps ſæpe eſt eventus, improviſo, ſæpe etiam in ſpeciem periculoſo, caſu ſaluti proſpicit parturientium) langueſcit, unde fœtus exitum quidem moliens, ope vero debita deſtitutus, mole ſua gravis, ſpasmodicos exercere poteſt effectus, unde vaſa comprimuntur uterina: vel ubi partes naturales male ſe habent, ſi ſc. uteri collum internum nimis eſt anguſtum, vel oſſium pelvim conſtituentium compages arctior, vel os ſacrum & os coccygis nimis recurvum, quibus iter præcluditur fœtui, unde iidem oriuntur effectus. Quibus addere liceat tanquam cauſas remotas, partim lympham illam uterinam, partum & antecedere ſolitam & comitari, quæ, ſi maturius

 juſto

juſto excutiatur, ſiccatis tum mora naturalibus, neceſſe eſt partum fieri laborioſum, ut qui maxime illo lævore mucilaginoſo in tanta viarum anguſtia, rugoſaque contractione adjuvetur: partim illam corporis curaturam, quam virgines ante nimium affectabant, pompæ & gratiæ inſervientes; deſuetæ enim pridem per conſtrictionem hypochondriorum nimiam fibræ tum, cum neceſſe eſt, officium facere nequeunt, matremque in ipſo opere deſtituunt, ut intelligant jam virgines, quam difficile ſit in tam tenui, junceoque habitu matres fieri, Autore quoad duas poſteriores haſce cauſas *Pechlino* l. c. L. I. obs. 29. & 27. Vitio infantis partus fit difficilis, ubi ille eſt majoris diametri, quam ut per anguſtiſſimam illam pelvim facili tranſire poſſit negotio, unde vis non exigua infertur utero. Sic minus propitiam experiuntur Lucinam mulierculæ, ubi fœtus non eum obſervat ſitum, qui requiritur ad partum felicem atque naturalem, ut vel capite ſurſum ſpectante, vel pedibus, vel genu, dorſo, aut abdomine primum ſe offerat; in hoc enim ſitu magnus adeſſe debet conatus uteri, diaphragmatis &c. per quos conatus diutius protractos premuntur fibræ, & violenta conſtrictione vaſa ſanguifera. Adde, quod ipſe ſitus uteri quandoque partum reddat difficilem, niſi invertatur, ubi ſcilicet ejus orificium vel oſſi coxendicis dextro, vel ſiniſtro, vel oſſi ſacro, vel oſſi pubis inſiſtit. Accedit cauſa Embryulciæ, ubi fœtus mortuus eſt extrahendus; ſic enim duirus tractatur uterus, quodſi non expedite procedat, & longiore mora ſit opus, uteri collum vehementer diſtrahitur, qua vi compreſſionis & conſtrictionis ita poteſt affici uterus, ut ex ruptis tandem & laceratis lymphaticis hydrops oriatur. Sic ſecundum *Pechlinum* l. c. L. I. obs. 26. non matris tantum requiruntur vires ad partum ſecundandum, ſed & fœtum oportet eſſe validum, ſuoque genio in cætera partium harmonia fruentem. Quid infelix, vel & negligens obſtetricis manus conferre poſſit ad partum difficilem, docet idem *Pechlinus* l. c. obs. 32.

§. VIII.

Cæterum accuſari meretur 1. ille ſtatus, in quo ſexui huic delicatiori menſium beneficium eſt denegatum, ubi maxime per fortiora adſtringentia fluxus ille quantitate peccans, licet aliâs ſalutaris, fuit ſuppreſſus, idque eodem modo, quo alias hæmorrhagias variis artifciis, imprimis fortioribus adſtringentibus, tractatas & ſuppreſſas excipere plerumque ſolent tumores oedematoſi, cachexia atque hydrops. Sine

dubio

dubio cauſa Hydropis uterini a *Riedlino* præc. Cap. §. III. allegati non alia fuit, quam menſium obſtructio, aut multum ſaltem huc contulit, utpote quæ, docente hiſtoria, præceſſit hydropem uteri. II. in exceſſu peccat ſanguis ille menſtruus in cacochymis & plethoricis, in quibus ſc. iſto tempore ad vaſa uterina major ſanguinis eſt determinatio, quo impetu motuque ſanguinis aucto vaſa magis diſtenduntur, extremitates vero capillarium magis coarctantur. Quantum enim hîc accedit vaſorum diametro ante ſuam extremitatem, tantum huic decedit. Ob vaſorum vero majorum diſtenſionem comprimuntur glandulæ, & vaſa minora, quæ compreſſio & extremitatum coarctatio humorum motum tardare, ſtagnationes inferre, & hydropem tandem parere valet. III. Naturalis peccat uteri diſpoſitio, ſive hæreditaria, ſive adventitia, ratione cujus uterus, quoad glandulas ſuas, magis vel minus opportunus eſt obſtructioni, unde ſimul obſtruuntur lymphatica, quod patet ex ante dictis: vel tonus fibrarum eſt debilior, & vaſcula hinc vi elaſtica ſufficiente ſunt deſtituta, unde facilius â quacunque cauſa in illis contingere poteſt ſtagnatio atque obſtructio. In omni vero caſu locum habent cauſæ externæ, contuſiones, vulnera, lapſus, vehementiores uteri concuſſiones, imprimis tempore graviditatis, quarum cauſarum vim ad uterum determinari oportet; unde vaſa ſanguifera quandam experiri compreſſionem eſt poſſibile.

§. IX.

In genere accuſant hydatides, quæ ruptæ efficiant hydropem, quod facile admittimus, ſi conſideremus ſtructuram lymphaticorum; quæ valvulis gaudent copioſiſſimis à Ruyſchio deſcriptis in libr. de valvul. lymph. Sic hydatides ſpeciatim fiunt in iis lymphaticorum partibus, quæ inter binas vaſorum occurrunt valvulas, quia aqua ob obſtructionem nec antrorſum, nec ob valvularum interceptionem retrorſum fluere poteſt, quin novus ſemper â tergo inſequatur adfluxus, unde intumeſcunt hæc interſtitia, & hactenus repræſentant aſcitem ſaccatum, monente *Nuckio* in Adenograph. pag. 124. & 125. Dum vero quacunque de cauſa rumpuntur hæ hydatides, effunditur lympha, & verus inſequitur hydrops, quod etiam cauſa eſt quandoque hydropis gravidarum, intra peritonæi duplicaturam, teſte eodem *Nuckio*, l. c. pag. 115. Conferatur etiam B. D. D. *Mezgeri*. differt de cordis Polypo pag. 45. Sic ſecundum *Wedelium* exercit. pathol. Therapevt. ex. VI. l. c. hydrops

rops & hydatides fundantur in viſcerum, quoad acinos, imprimis glanduloſos, obſtructione, atque atonia, tanquam cauſis communibus; ut adeo communiter hydatides dicantur, quamdiu lympha adhuc inter valvulas ſtagnat, dum verò vaſa ob diſtenſionem nimiam crepant, oriatur hydrops. Quod autem uteri hydatides in ſpecie attinet, de his legi meretur *Pechlinus* obs. 19. lib. I.

§. X.

Sed reſtat adhuc diſquirendum, quænam ſit mali hujus ſedes? Juxta definitionem non cavitas ſolum uteri, ſed & membranarum ejus interſtitia, excipiunt triſtem hunc hoſpitem; & quid obſtat, quo minus quandoque in cellulis membranæ adipoſæ, ſeu inter membranarum uteri interſtitia, quorum ſedem imprimis præbet membrana adipoſa, hæreat materia illa ſeroſo-lymphatica: quandoque vero, ubi notabilior contingit vaſorum ruptio, & humoris extravaſatio, in uteri effundatur cavitatem. Nec opus erit humorem illum ſeroſo-lymphaticum cum *Aëtio*, 4. tetrabibl. 4. c. 79. intra veſiculas, ceu proprios coërcere folliculos, ex vana quadam dubitatione, quomodo materia poſſit contineri in cavitate uteri, cum illi continuus pateat per uteri oſculum & cervicem ad exteriora effluxus. Vanæ verò iſti *Aëtii* dubitationi, quomodo humor ille lymphaticus ſedem ſuam figere poſſit in uteri cavitate, cum propria mole neceſſario per apertum uteri oſculum deorſum tendat, atque elabatur, obviam ire canatus eſt *Johannes Varandæus* Medicus Monſpelienſis, de affect. mulier. L. I. Sect. II. c. 8. dum ſtatuit, interius illud oſculum quandoque p. n. ita conſtringi poſſe, & coarctari, ut materiæ non pateat exitus. Sed & in ſtatu naturali os uteri interius eſt anguſtiſſimum, ut nihil intrare poſſit nocivi, neque etiam facile aliquid effluere, vid. Thom. *Bartholin.* Anat. L. I. c. 29. quin collum uteri in ſtatu naturali contortum nonnihil & obliquum; quod tranſitum materiæ poſſit intercipere, arctius quoque eſt clauſum, teſte *Bartholino*, l. c. c. 30. Imo ſtatim ab excluſo fœtu cum ſecundinis ſe recolligit, cervicem arctat, atque interiora verſus in priſtinum locum ſe retrahit uterus vid. *Gualterum Charletonum* in inquis. med.-Phyſ. c. 3. & *Bergeri* Phyſiol. med. L. II. c. III. ubi mentionem facit experimenti illius Cl. *Henrici à Deventer*, qui defunctam octavo vel nono â partu die cultro aperuit, uterumque tam exiguum & naturaliter conſtitutum mirabundus invenit, quaſi puerpera non fuiſſet. Confirmat

firmat id ipſum *Pechlinus* L. I. obs. 26. qui mox nono poſt partum die, ſaltem niſi aliud interveniat, omnia aſſerit ad priſtinam redire anguſtiam, eodem labore, vel etiam majore poſtea iterum dilatandam. In graviditatis verò ſtatu uteri orificium firmiſſime eſt clauſum, ut omnem materiæ egreſſum neget, quod in confeſſo eſt apud omnes Medicos. Sic claudi dicitur hoc orificium, ut ne ſpecilli aciem aut acum intromittat: unde fruſtra medici per ſyringam infundunt liquores, & ſcorta fœtum conceptum extrahunt, teſte *Bartholino* l. c. c. 29. & inter aureos *Hippocratis* noſtri aphoriſmos fidem huic rei addit aphor. 51. ſect. V. quæ in utero gerunt, harum os uteri clauſum eſt, nam expanſo magis utero, quoad fundum, major, quoad cervicem, eſt conniventia, & ceſſante ſanguinis orgaſmo margines cervicis uteri conſtringuntur & ſubſident monente Cl. *Wedelio* in aphoris. aphoriſmorum. Legi etiam meretur de hac re *Viſceri* in aphor. Hippocr. Commentarius. Imo uteri orificium non ſolum poſt conceptionem, ſed & alias, niſi dum ad recipiendum ſemen aperitur, ſatis arcte claudi, docet *Sennertus*, pract. Med. L. IV. P. I. Sect. II. Cap. II.

Cap. III.

Exhibens ſigna diagnoſtica, & prognoſtica cum therapia.

§. I.

Licet hoc malum multum differat à reliquis hydropis generibus, quoad ſymptomata imprimis, quæ ſimul ſigna exhibent diagnoſi mali inſervientia: ſunt tamen quædam ſigna generalia, quæ ſimul ſumta hydropis repræſentant ideam, & quæ nunc cum hoc vel illo hydropis genere in ſpecie, nunc cum omnibus communia habet hydrops uterinus. Sic generale ſignum præbet tumor, ſeu diſtenſio partis à materia incarcerata, licet non ſit proprium hydropis in quarto modo; cum quidem omni hydropi & ſemper competat tumor, ſed non ſoli, nam dantur tumores inflammatorii ſcirrhoſi &c. Hic tumor quoad magnitudinem variat, & ſemper ad dimenſionem partis continentis, vel materiæ copiam eſt proportionatus. Communem etiam cum

aſcite

aſcite abdominis , anaſarca , & tympania habet hydrops, uterinus tumorem pedum ob vim preſſionis in venas iliacas , quæ vis eundem hîc præſtat effectum â mole aquarum in utero contentarum , ac in gravidis â ſuperincumbente fœtu. Quanquam & hic varient tumoris gradus , cum in tympania vel non intumeſcant pedes , vel in minore gradu , quia vis preſſionis eſt minor ; quid quod & in hydrope uteri non ſemper deprehendatur tumor pedum , quod ex hiſtoria *Riedlini* ſuperius allegata clarius apparet.

§. II.

Sed operæ pretium erit inquirere in effectus hujus mali peculiares, qui haberi debent pro ſignis ejus pathognomonicis , licet in principio aliquid ambiguitatis habeat diagnoſis , in progreſſu tamen ita poteſt deprehendi hic hydrops , ut non obſcure diſtinguatur ab aliis tumoribus p. n. Et quidem primo , quod aſcitem abdominis , quem ſæpe mentitur , attinet , ſunt quædam circumſtantiæ affectum hunc uterinum utplurimum præcedentes , quæ eum ab aſcite diſtinguunt , & quidem 1. ſtatus impprægnationis , quo tempore major eſt opportunitas huic hydropi gignendo , quam aſciti. 2. Vitia conceptionis, ubi e. g. mola continetur in utero , quæ præter alios effectus etiam hunc nonnunquam habet conjunctum. 3. Puerperii ſtatus ſignificationem præbet hydropis uterini potius , quam aſcitis. 4. Abortus poteſt ejus fieri cauſa. Si jam hiſce temporibus fiat intumeſcentia , probabilius eſt eſſe hydropem uteri , quam aſcitem.

§. III.

Sunt vero etiam ſigna peculiaria hydrope jam exiſtente , quæ huic potius hydropi uterino , quam aſciti , conveniunt , & quidem 1. intumeſcentia, quæ in principio plus tenſionis habet & moleſtiæ, quam in aſcite , quæ moleſtia videtur eſſe in pelvi 2. Tumor abdominis in aſcite mollior eſt , quam in hydrope uteri , nam in hydrope uteri abdominis cavitas non eſt referta ſero extravaſato , cujus cauſa totum quidem abdomen aſſurgit in tumorem : ſed quia aquæ in uteri membranis ſunt incluſæ , ipſi muſculi abdominales plus tenſiones habent , & durior inde evadit tumor. 3. Uterus , quod Hippocrates jam monuit , ſingularia vel â parte veſicæ , vel alvi adfert incommoda , quia preſſio redundat in has partes, cum inteſtinum rectum vaginæ ſubjaceat uteri, veſica vero

vero in anteriore parte ſit poſita. In hoc ergo affectu uterino peculiares etiam obſervare licet effectus, tum â parte veſicæ, tum â parte alvi: â parte veſicæ, quæ cum urethra preſſa vix quicquam admittit, & transmittit, quod non neceſſario conjunctum eſt cum aſcite, ſed in hydrope uteri ſingulare quid habet, quod tumefacta veſica cedat utero, & inſignem patiatur preſſionem: â parte alvi, quæ in aſcite non peculiaria patitur incommoda, ut in hydrope uterino, compreſſionis itidem cauſa. 4. Inter effectus ſingulares referri meretur moleſtia in mammis perceptibilis, non ſola quidem intumeſcentia, quæ itidem deprehenditur in aſcite, ſed conjunctus cum hac dolor intenſior, ob peculiarem uteri cum mammis conſenſum. 5. Si aliquando etiam ex naturalibus profluat ſerum, hoc unicum ſignum habebit plus ponderis, quam cætera omnia. Jam docent obſervationes, ante, vel poſt prolem editam, quin & ſingulis menſibus, orificio uteri præter conſuetudinem aperto, immenſam ſeri vel aquæ copiam cum ſubſidentia tumoris effluxiſſe.

§. IV.

Neque vero ſicco tranſeunda ſunt pede iſta ſigna, quibus & ab aliis tumoribus p. n. diſcerni poſſit hydrops noſter uterinus. Sic non raro mulierculis æque ac medicis imponit ſub ſchemate graviditatis, ubi vero ad ſeqq. attendere licet notas: quod 1. in graviditate tumor non ita appareat æqualis, ut in hydrope, ſed acuminatus quaſi, & faſtigiatus, cum in aſcite ſit uniformiter extenſus per totum uteri corpus. 2. In graviditate poſt aliquot menſes plerumque melius ſe habent fœmellæ: quo diuturnior vero tumoris hydropici eſt proceſſus, eo ſymptomata magis intenduntur, atque vires minuuntur. 3. Poſt tertium aut quartum menſem embryonis ſenſibiliter percipitur motus. A tumore differt uteri inflammatorio, quod febris, dolor intenſus, & inflammatio partium abeſt genitalium: â ſcirrhoſo, cancroſo, quod non ſit ea durities, quæ tangentis reſiſtat digito. Si in cavo uteri continetur aqua, 1. majorem facit tumorem & elevationem in regione hypogaſtrii, quam dum eſt inter membranas, quia multo majus eſt ſpatium. 2. aliquam repræſentat fluctuationem, & minores infert cruciatus, quam dum eſt intra tunicas, ubi divulſiones ſunt majores, & in parte magis ſenſibili. Theodorus *Zvvingerus*, Profeſſor olim Baſileæ celeberrimus, diſtinguit ejusmodi hydropem â mola aquoſa, affectu frequentiori, in quo liquor albus, non nihil viſcidus, in membranis diſtinctis, ſeu veſiculis variis coacervatur, quæ interdum jungitur cum ingravidatione, & ſubinde aliquot ſeptimanis ante fœ-

fœtum effluit ſine noxa, & oriri videtur ex abundantia liquoris chyloſi nutritivi, qui non totus in alimentum fœtus cedens talem conſtituit molam.

§. V.

Prognoſin quod ſpectat, ſi humor adhuc benignæ ſit indolis, nec corruptus, progreſſu temporis curationem admittit hoc malum, licet diuturnum eſſe ſoleat. Si vero humor ſit pravus, gravioribus ſtipatus ſymptomatibus, periculo non caret, quin lethalitatem poteſt inferre, ſolet enim partes nobiliores trahere in conſenſum, & tandem univerſalem cachexiam inducere, ac hydropem. Nam qualis eſt uterus in muliere, inquit *Aëtius*, tale utplurimum eſt reliquum corpus. Uteri prolapſum quandoque poſt ſe trahit, quem incumbente ſuo pondere ſede naturali cedere cogit, atque prominere. Facilius curatur hic morbus, ſi in cavitate uteri contineatur aqua, quam intra tunicas, quia tum evacuationem humoris melius admittit. Si mulier poſt conceptionem uteri hydrope corripiatur, fœtus plerumque ab illuvie aquæ enecatur, & ejicitur, materque de vita periclitatur, vel & moritur, quam prognoſin confirmat noſter *Hippocrates* in loco ſupra allegato. Aliquando vero ad tempus partus legitimum ſervatur, & tam diu hoc laborant malo mulierculæ, donec pepererint; quo facto convaleſcunt, & una cum dulciſſimo onere hoc quoque moleſtiſſimum deponunt onus, quod docent obſervationes. Interdum etiam ſponte ex utero profluit aqua, & fœmina priſtinæ reſtituitur ſanitati.

§. VI.

Et ſic tandem progrediendum erit ad ipſam curationem, in qua curandum, tum ut collecta in utero materia evacuetur, tum cauſa, ob quam colligitur, tollatur, & recidivæ metus auferatur, ut & ſymptomata mitigentur. Ex fonte Chirurgico, ſi a tributo illo lunari quacunque de cauſa denegato ortum ſuum traxerit malum, ad tollendam hanc cauſam convenire poterit Vſ. in pede, idque in recenti adhuc affectu, & niſi vires, aliæve circumſtantiæ contraindicent: in aliis verò caſibus ſatius eſt ab ea abſtinere, ſi velimus metum præcavere hydropis univerſalis. Quid prodeſſe in hoc affectu queant fonticuli, quos nonnulli ſuadent ad humorem ſenſim evacuandum, aliorum eſto judicium. Ex fonte pharmacevtico ad evacuandum humorem in utero contentum omnino neceſſaria eſt purgatio, eaque crebrius repetita, in quo cum reliquis hydropis generibus convenit hoc malum, addita ſaltem hac cautela, quod heîc,

inpr.

inpr. in graviditatis ſtatu non conveniant purgantia draſtica, quæ alias in hydrope ſolent adhiberi. Sic e. g. præſtantiſſimi aliâs in hydrope uſus ſunt Rad. ſambuci, & ebuli, herba abſinthii, radix Iridis &c. quæ vero non ſatis tuto adhibentur in gravidis. Conducunt potius Syrupus acaciarum, rhabarbarum &c. ſic exhiberi poteſt ſyrupus de ſpina cervina, qui aquas ſat copioſe elicit, ſed refracta doſi ad ℥i. addita 🜄cichor. ℥ß. 🜄cinnam. ʒi. vel ʒij. cujus ſyrupi doſis conveniens hebdomadatim poteſt præſcribi, purgandi ſcopo. In aliis caſibus, ſi uteri id permittat conſtitutio, ad quam ſemper eſt reſpiciendum, conducere poterit vinum medicatum, ex cort. rad. ebuli, ſamb. Ir. Fl. ana ℥i H. abſinth. Pont. m.ij. Fol. ſenn. opt. mund. ℥i ſem. dauc. fœnicul. ana ʒij. Salis Tartar. ʒi. His conciſis, & contuſis adde 🜄 font. ℔ij, Vini vet. alb. ℔ iv. digerendo per trihorium in cineribus calentibus, cujus vini mane & veſperi ℥iv. poſſunt hauriri. Plures qui volet formulas, ad hunc ſcopum accommodatas, evolvat Joh. *Michaelis* prax. clin. gen. P.I. L.V. cap. 22. Item *Riverii* prax. med. L. IX. cap. 12. Poſt purgationem conveniunt diuretica, ſed mitiora, præſertim in graviditatis ſtatu, ne lædatur fœtus, quæ contentum in utero humorem per vias urinarias foras propellunt, & derivant. Talia ſunt ex regno vegetabili medicamenta ſale fixo alcalino abundantia, e. g. lixivium vel ſimplex, vel compoſitum ex cineribus juniperi, geniſtæ, fabarum &c. quorum cinerum circiter ℥iv affunduntur vini veteris ℔ iv. de quo lixivio mane & veſperi ℥iv poſſunt hauriri. Si hæc non ſufficiant, addatur lixivio vel abſinthium ad mij. vel alia adpropriata e. g. rad. Ir. Flor. rad. vincetox. &c. Si lixivium quoque debeat eſſe laxans, addatur rhabarbarum. Quibus etiam addere licet ſemina diuretica e. g. ſem. apii, dauci, petroſelini, fœniculi &c. Ex regno animali peti poſſunt ejusmodi medicamenta, quæ pollent ſale volatili urinoſo e. g. millepedes, lumbrici. Sic ſucci naſturtii expreſſi, & per ſubſidentiam depurati ſingulis ℥iv. addi poſſunt circiter quinquaginta millepedes, primo vino loti, dein contuſi, faciendo expreſſionem, & colaturæ addendo ſyrupum violarum vel capillorum Veneris ad gratiam: vel addi poſſunt lumbrici tres, probe loti & contuſi. Hauritur hic potus mane & veſperi, ad ℥IV, qui humores attenuat, meatus reſerat, & urinæ promovet excretionem, citra fœtus damnum, ſi quis adeſt. Univerſalibus his præmiſſis ſubjungenda ſunt ea, quæ uteri fibras roborant, & tonum reſtituunt. Cæterum non ſilentio prætereundum eſt decoctum marrubii albi, quod non exiguæ in hoc affe-

ctu virtutis eſſe deprædicatur. Ut verò recidivæ metus auferatur, curatio ſemper ſecundum indicationes à cauſis, ob quas collecta fuit materia, petitas eſt inſtituenda. Extus conducunt fomenta, clyſteres, in uterum injectiones, quæ etiam mitigant ſymptomata. Ex fonte Diætetico conducunt omnia exſiccantia plus minus, pro conditione humoris intus contenti, attenuantia, aperientia, reſolventia. Ab humido, quantum poſſibile, eſt abſtinendum, quin ab alimentis frigidis, aquoſis: evacuationes naturales ad curſum ordinarium ſunt revocandæ, & ab injuria äeris frigidioris prohibendæ. Et hæc de Therapia dixiſſe ſufficiat.

IN Patriam reduci Laurum dat Hygea; Salutem
Redde ægris; reddet præmia larga Deus!

Nobiliſs. Dn. Candidato Wagnero gratul.

PRÆSES.

ECce vices lætas! Tibi ridet *adorea laudis*,
Sponte venit capiti laurea ſumma Tuo.
Fer jam Poeonias felix Podalirius herbas!
Wagneri nullum plus valet Arte malum.

Nobiliſſimi Dn. Licentiati Eruditioni & Amicitiæ dabat

M. JER. DAV. REUSS. S. S.

U*Terus* eſt, cujus *Laudem* TIBI parturit *Hydrops*,
Et *Nympham* pariet tempore *Lympha* ſuo.
Utere, ne pereat, dum paret *Utrumque*, paranda
Neſciat *Hydropem Nymphaque Lausque* Tua.

Nobiliſſimo Dn. Lto ludens lubensque adpoſuit Compromotionalis duo per Monaſteria & Illuſtre Stipendium ſeptennis

JOHANNES GODOFR. GOEZ. L. A. & Ph. M.

FReund! Hochgeliebter Freund! *mehr Worte taugen nicht;*
Weil hier die Redlichkeit *in wenig Sylben ſpricht:*
Wie ſehr es Sie vergnügt, daß heut Apollens Söhne
Hygeens Prieſterſchafft *den Purpur zugedacht;*
Wann auch die Praxis *dich zum* Æſculapen *macht*,
So fehlt dir weiter nichts, als eine Epione.

So rüſtet ſich in Gedancken auf den Myrten-Krantz des Herrn Lti ſein allernächſter Bluts-Freund

TOBIAS WAGNER, Doctor Philoſophiæ.